
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



OBSERVATIONES

IN

P. OVIDII NASONIS EX PONTO LIBROS I-III.

OBSERVATIONES

IN

P. Ovidii Nasonis ex Ponto libros I-III.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

K. MARTIN,

PHILOS. DOCT., IN FACULT. DISSIPL. MATH. ET PHYSIC. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI
SUBMITTET

OTTO SCHREUDERS

NORDOVICENSIS.

DIE XI. MENSIS DECEMBRIS, A. MDCCCXCV, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD S. C. VAN DOESBURGH,

MDCCCXCV.

PARENTUM MANIBUS SACRUM.

Observationes in corpus trium priorum Ovidii ex Ponto librorum scribere suscepi, quia Kornium et Merkelium saepe coactos et invitos inique de verbis traditis judicasse mihi persuasum est; quorum argumentis infra respondebo. Huius loci est pauca exponere de utriusque computationibus. Merkelius [1]) ex aequalibus inter lacunas manifestas intervallis archetypi paginis attribuit vigenorum binorum versuum ambitum [2]). Ad hanc normam cum totum Ponticorum opus redigat, fit interdum, ut nonnulla abundent: quaerit ergo v. d. disticha quibus facile careamus vel quod in codicibus corrupta extent vel quod displicuerint Bentleio aliis. Si contra integer versuum modus adest, negligentiam poetae excusat, vitia obumbrat, dissentit ab eodem Bentleio (cf. e. g. praef. p. XXV ad I, 3, 86). Deinde ubi 3 disticha proposito desunt et lacunae locus indagandus est rationis ruina instare videtur (praef. p. XXII sq.); nec minus omnia la-

1) Ovidius Vol. III. Lipsiae 1884, Praef. inde a pag. XIX.

2) Ponticorum archetypum trium per singulas paginas distichorum fuisse antea suspicatus erat O. Korn in progr. Strehlensi A[i] 1874 (de codicibus duobus carminum Ovidianorum ex Ponto datorum Monacensibus).

bare dixeris in extrema Ponticorum parte (praef. p. XXIV sq.) quam pag. XXII ubi nihil restat, nisi ut paginae aliquotiens inaequali numero fuisse putentur. Ratio igitur „protegit haec sontes immeritosque premit" [1]. Aeque reluctantem vulgatam experitur Kornius opinans [2] Ovidium ne tum quidem, cum gravissimis curis sollicitudinibusque obrutus esset, recessisse ab eleganti et artificiosa carminum compositione, quam in Amoribus observasset. At novissimus carminum amatoriorum editor Ehwaldius solum Amor. I, 6 idque ex parte huius concinnitatis studii indicia servare affirmat [3]. Ceterum idem vir doctus l. l. graviter improbavit hanc perversam et lubricam computandi rationem. Sibi enim verba non se verbis subjungunt, qui aequabilitati student. Attamen rationis Kornianae exemplum describere libet. Epistulae tertiae libri primi schema hoc

5. | 4.4.5.5. || 1. || 6.6.6.6.

pro fundamento fuit Ovidio, cum rescriberet ad Rufini solacia et praecepta. Quae autem distichorum series tum demum efficitur, si spurios habes vv. 85—86 et duo excidisse disticha statuis (Stroph. p. 215). Sunt et alia quae minus faveant huic versuum distributioni: sic sententiarum nexus male enarrari mihi videtur, nam epistulae secundae libri primi schema [4] orationis filo non convenit, quantum

---

1) Tr. II, 274.

2) De Carminum Ovidii ex Ponto datorum compositione strophica scripsit Otto Korn Mus. Rhen. vol. XXII. pag. 201 sqq. (Ao. 1867).

3) Prof. Dr. Ehwald, Ad historiam carminum Ovidianorum recensionemque symbolae. pars II. Gothae 1892, pag. 21 sq.

4) 6.7.7.6. | 6.5.6.5 | 3.5.3. | 4.3.4. de comp. stroph. p. 215.

video, nec sunt vv. P. I, 4, 39—40 ad praecedentis magis quam ad insequentis distichi formam elaborati[1]). Sed, quae Merkelius et Kornius arte arithmetica duce statuerunt, obiter tangere satis habui, quum non numeris sed utriusque argumentis hic illic obloqui mihi propositum esset. Alterum consilium fuit ut verba singula aestimarem. Nam haec quoque immerito plerumque tentata puto. Ut tamen temeritatis et ineptiae crimen effugiam, fines quosdam mihi constituam et de locis selectis tantummodo agam. Transeo ergo ad opinionem meam probandam qualicumque sermonis Ovidian usu instructus.

---

1) De comp. stroph. p. 205.

In prooemio trium priorum librorum ex Ponto a Bruto amico huic operi Romam misso hospitium petit Ovidius, nam

P. I, 1, 5 publica non audent intra monimenta venire,
ne suus hoc illis clauserit auctor iter.

Agnoscit hic Ehwaldius particulam affirmativam, quam aliis quoque Ovidii locis latere contendit [1]). Sapiunt igitur libelli, quod bibliothecas publicas intrare verentur. At num haec dicere voluerit poeta, dubito, cum potius timidos fingat libros suos (Tr. I, 1, 95. III, 1, 1) et fere numquam Augusti indulgentiae diffidat. Rem itaque in medio relinquis si notionem metuendi cum Dintero [2]) verbis *non audent* attribuis. Laudavit hic P. I, 10, 15—16. IV, 15, 29—30: addo Her. IX, 35. Amor. II, 5, 53. Prop. IV, 11, 9 sqq. (Luc. Mueller) Martial. I, 35, 11. Quae explicatio praestat et quod particula *nae*, quantum indagare potui, non utuntur [3]) poetae Augusto aequales et quod sequuntur verba

---

1) Ehwald. Symbol. II, pag. 9.

2) Bernard Dinter, de Ovidii ex Ponto libris commentatio prima. Grimae, 1858. pag. 7.

3) Bursiani nunt. annal. XLIII, 231. Ehwald ad Met. IX, 492: ne = nae ist für Ovid sehr fraglich.

vs. 7. a! quotiens dixi „certe nil turpe docetis:
ite, patet castis versibus ille locus!"
non tamen accedunt, sed, ut aspicis ipse, latere
sub lare privato tutius esse putant.

P. I, 1, 13 quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.
accipe, quodcumque est, dummodo non sit amor.
invenies, quamvis non est miserabilis index,
non minus hoc illo triste quod ante dedi.

Molestias parit illud *quid veniant.* Dubitari potest utrum consilium itineris Brutum rogaturum fingat Ovidius, an quales sint, qui veniant libelli peregrini. Illud Heinsius voluit. Sed ita si interpretaris, responsum quod numquam non redditur, desideratur. Cf. Met. II, 740 sqq. V, 651 sqq. VI, 449 sq. XI, 622 sq. Fast. V, 391 [1]). Nec arte rhetorica utitur Ovidius, ut statim eam negligat cf. v. 11 sq.

Exempla luculenta praebet libri quinti Tristium prooemium, in quo quater adhibuit poeta figuram, quae vocatur praesumptio (vv. 25. 35. 49. 69). Eiusdem epistulae initium et finis faciunt ad locum nostrum. Incipit a verbis

Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum
litore praemissis quattuor adde meis.
hic quoque talis erit, qualis fortuna poetae:
invenies toto carmine dulce nihil.

habes mandatum et argumentum. Hoc modo claudit carmen:

---

1) Citavit Heinsius Tr. III, 7, 6. Cum autem plura una rogantur, non ad omnia semper respondet poeta.

cur scribam, docui. cur mittam, quaeritis, isto?
vobiscum cupio quolibet esse modo.

eiusmodi quid verba *accipe q. e.* non referunt; est sententia quae praesertim poetae menti obversabatur. Recurrit vv. 4. 21. 29. 47. Qui formulae vim retinere volunt, statuere debent poetam inepte mentionem injecisse rerum, quas dissimulare mallet. Mihi igitur praestare videtur altera explicatio. „Satis apparet, ait Dinterus Comm. I, p. 8, ex iis verbis quae sequuntur (vv. 14—21) *quid* ita esse accipiendum, ut sit id quod in interrogando simul attribuitur subjecto, quale est I, 2, 6 „quisque loquar tecum".

Sic Iphis se ipsam adhortatur (Met. IX, 747)

quid sis nata, vide

cf. Hor. Ep. II, 2, 99 Discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?

Nec verba *accipe q. e.* offendunt. Valent enim: argumenti natura ne obstet, quominus libellos accipias cf. Her. IV, 3 sq. V, 1 sq. Redit poeta ad propositum et apte jungit novam rationem, qua confirmet Brutum haesitantem et gravantem. Notavit deinde Dinterus chiasmum in vv. 3—10 et 15—20. Hanc duplicem interpretationem commemoravi, ut ostenderem non opus esse conjectura velut *qui veniant*, quod altera manus in β addidit, neque emendatione *quidve ferant*, quam proposuit Kraffert [1]). Vertit quoque A. Berg: was sie dir bringen.

---

1) Nihil mutandum esse censet Ehwaldius Heinsio assentiens Bursiani nunt. annal. XXXI, p. 192.

P. I, 1, 33 cum foret Aeneae cervix subjecta parenti,
dicitur ipsa viro flamma dedisse viam:
fert liber Aeneaden et non iter omne patebit?
at patriae pater hic, ipsius ille fuit.

Tuetur pronomen *ipsius* locus e Fastis de anno antiquo decem mensium

I, 37 haec igitur vidit trabeati cura Quirini,
cum rudibus populis annua jura daret.
Martis erat primus mensis Venerisque secundus:
haec generis princeps, ipsius ille pater.

Audiendus est Dinterus Comm. I, p. 13, quem de pluribus eiusdem generis pronominibus (hic. ille. ipse) in eodem enunciato positis jam disputasse video.

P. I, 1, 37—48

Agit poeta de liberalitate erga sacerdotes vaticinantes. Isidis, Magnae Matris, Dianae famulis stipes et dona largiuntur creduli, quo deabus ipsis (43. 48) gratiam referant vel reverentiam testentur. Inde Ovidius vates, cuius praesagia habes P. II, 1, 55. III, 4, 89—114, lectorum benevolentiam sibi vindicat. Est res notissima Isiacos Gallosque stipem cogere solitos esse. Iidem praedicebant futura. Conjectores Isiacos commemorat Cic. de div. I, 58, 132. (cf. J. Marquardt .Römische Staatsverwaltung, III, 98, 1); de Gallis inspice Plut. de Pyth. orac. cap. 25. Iuv. VI, 517. Mar-

quardt l. l. p. 353, 6. Agmen exemplorum claudit „vaticinator Dianae" quem alienum a loco nostro putant Merkelius et Madvigius nec umquam extitisse suspicantur. Describo distichon, quod hic mutavit ille damnavit:

v. 41 scimus ab imperio fieri nil tale Dianae:
unde tamen vivat, vaticinator habet.

„Mire Diana ita inducitur" ait Madvigius Adv. crit. II, 101, „ut nihil ponatur, quod eius sub nomine fiat et tamen „illud de vaticinatore addatur." Cui sic respondeo. Quid fiat Diana non iubente petendum est e pentametro subiecto. Confero enim Trist. V, 12, 67

sic utinam, quae nil metuentem tale magistrum
perdidit, in cineres Ars mea versa foret.

ubi eandem prolepsin deprehendis, cf. Tr. III, 9, 25. Dissentio igitur a Dintero, qui *nil tale* ad v. 40 spectare contendit (Comm. I, 14) neque eidem concedo particulam *tamen* insolito loco esse collocatam. cf. Prop. II, 4, 20 (L. Mueller). Cetera verba quam apte hic sint posita elucet, si inquirimus numquid de vaticiniis Dianae constet. Qui Dianam Aricinam citant, solo cod. Twisdenii testimonio nituntur, cuius in margine hanc glossam legit Heinsius: „in Aricino nemore juxta Romam habuit Diana templum; ibi erant vaticinatores." Nusquam alibi harum sortium mentio fit. Transiit Cicero, quum sortes non amplius in honore esse diceret (de div. II, 41) neque Propertius Cynthiam totiens oppida urbi proxima frequentantem quum vituperaret, quamvis sortes Praenestinas commemoraret, easdem amicam Ariciae consuluisse dixit III, 30. Offerebant mulieres votorum compotes faces, licia et

tabellas Dianae ipsi (Sen. benef. VII, 4, 6) et suspicari licet eas, ut erant mentibus laetis animisque benignis, mendicantibus in clivo Aricino (Martial. II, 19, 3. XII, 32, 10. Juv. IV, 117) dedisse stipes. Nulla autem beneficia in sacerdotem conlata memoriae produntur; stips Dianae deinde in usum templi vertebatur (Marquardt l. l. p. 140, 4). Templa denique suos habuisse sortilegos probari non potest auctore Marquardtio (III, p. 100, 3 = Preller-Iordan Römische Mythologie, II, 190), licet occurrant in inscriptionibus. Ergo cum has ob causas ad Dianam Aricinam alludi negem, miror quoque nihil additum esse de nemore vel de Aricia, ut Ovidii mos (Art. I, 259. Met. XV, 488. Fast. III, 261. VI, 755).

Transeo Boissieri opinionem. Ritus enim peregrinos in sacra publica irrepsisse sacerdotesque Dianae Gallorum more per vicos et oppida mendicando stipes collegisse scribit la Religion Romaine I, 440. Debet hoc loco nostro.

De Diana Pergaea cogitavit Kiesslingius ad Hor A. P. 453

ut mala quem scabies aut morbus regius urguet
aut fanaticus error et iracunda Diana,
vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
qui sapiunt.

Citavit Suidae glossam: *ἡ Περγαία Ἄρτεμις τάσσεται ἐπὶ τῶν ἀγυρτῶν καὶ πλανητῶν.* Huic addenda sunt Philostrati verba (Sophist. II, p. 574) *ἔξεστι συμβαλεῖν ταῖς εἰκόσιν, αἳ ἀνάκεινται ἐν τῷ τῆς Περγαίας ἱερῷ* ut me docuit Spanhemius ad Callim. h. i. D. v. 187. At, licet Cicero affirmet (Verr. I, 54) „Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum Dianae scimus esse" dubito tamen, num hic cultus, qui, quod sciam, numquam e Pamphylia in Italiam migravit, intelli-

gendus sit. Pluribus opus fuisset, credo, indiciis ut Pergaeam Dianam designari sentirent lectores. Sic Pont. III, 2 non dubitamus, quin Diana Taurica spectetur, licet audiat consors Phoebi dea (v. 48), Phoebe (v. 64), Trivia (v. 71). cf. Bistonia Minerva Ib. v. 379. Igitur ne haec quidem interpretatio mihi placet. Ipse cogitavi de magis, qui quaestus causa hariolantur [1]), quorum furibundae praedictiones [2]) non ita distant a Gallorum Isiacorumque caerimoniis, ut exemplis probare conabor. Sacra peregrina fere complectitur Seneca de vita beata c. 26, 8: „Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio [3]) mentitur, cum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, cum aliquis genibus per viam repens ululat laurumque linteatus senex et medio lucernam die praeferens conclamat iratum aliquem deorum, concurritis et auditis et divinum esse eum invicem mutuum alentes stuporem adfirmatis."

Cum his compara iracundam Dianam Hor. A. P. 454. Epod. 17, 3. Terrores magici noti sunt ex Hor. Epist. II, 1, 21 sq., 2, 208. Metum igitur incutiebant animis credulis, vagabantur et ululabant per vicos (Tib. I, 5, 55. Virg. Aen. IV, 609); non minus oculos ad se vertebant magi furore divino incitati quam illi fanatici Isidis et Cybeles. Mercedem iis tributam esse novimus e Propertio

II, 4, 15 (25) nam cui non ego sum fallaci praemia vati?
quae mea non decies somnia versat anus?

---

1) Cic. de div. I, 58, 132. I, 2, 4.

2) Lucan. VI, 590 sqq. Pompeius futura quaerit ex Erichtho. Prop. V, 1, 106.

3) Senec. Epist. 108, 7 nec aliter concitantur quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri et ex imperio furentes.

Sagam rapacem commemorat Tibull. I, 5, 59. Ov. Amor. I, 8, 28; stipendium Canidiae notum Hor. Epod. 17, 36. Nunc videmus quare Ovidius Dianam accuratius designare omiserit. Romae nemo legentium dubitare poterat. Talia autem non Dianae jussu fieri mihi dabitur. Oppono denique Merkelio (praef. XXI), cui vaticinator vocabulum duobus saeculis Ovidio recentius esse videtur, *faticano* (Met. IX, 419) *faticinas* (Met. XV, 436) et alia, quae poeta noster primus procudit. Quae cum ita sint Madvigii conjecturam *dearum* [1]) non amplector neque cum Merkelio vv. 41—44 proscribo, nam de superstitione agi mihi persuasum est.

P. I, 1, 65 mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul:
ne non peccarim, mors quoque non faciet.

Hoc distichon vulgo damnatur ut molestum et ineptum. Dubito autem, num vere turbet sententiarum ordinem. Quae est Kornii opinio „nam" ait Stroph. p. 216 „ubi semel mortis mentio facta est, malorum quibus vitae vires debilitentur enarrationem locum habere non posse crediderim." Diversa interpretandi ratione inita nihil incommodi habet locus. Voces quae sunt *perennis* (v. 64), *perpetuos* (v. 73) *fine nullo* (v. 74), opinor, peperere disticha proxime sequentia, quae ut orationi fidem adferat [2]) peccatum suum confitens addit poeta, nam

v. 57 saepe levant poenas ereptaque lumina reddunt,
cum bene peccati paenituisse vident [3]).

1) Miror in codicibus non inveniri: Idaeae.
2) Cic. de Oratore III, 53.
3) Tr. IV, 9, 3 sqq. Prop. III, 28, 11 sq.

Quo magis igitur appareat culpam sibi dolori esse utitur Ovidius sermone copiosiore, qui elegantiae Nasonianae arbitris (Heinsio et Bentleio) quidem displicet, in singulis tamen convenit cum sententiis alibi expressis. Ovidii morem amplificandi vel repetendi dicta modo prolata nemo nescit.

Exemplum, quod in rem est, praebet Amor. I, 15, 7:

mortale est, quod quaeris, opus: mihi fama perennis
quaeritur, in toto semper ut orbe canar.

Transeo jam ad v. 65, quo respiciuntur verba „poena potest demi" (v. 64). Dum alia vota[1]) fovet animo, caute poeta supplex pro certo affirmat mortem finem exilio esse imposituram[2]), quod efficio e locis

Trist. III, 3, 55 nunc si forte potes — sed non potes, optima conjunx —
finitis gaude tot mihi morte malis.

ibid. v. 65 ossa tamen facito parva referantur in urna:
sic ego non etiam mortuus exul ero.
non vetat hoc quisquam.

Trist. IV, 6, 49 una tamen spes est, quae me soletur in istis,
haec fore morte mea non diuturna mala.

Hanc autem poenam minus curat (v. 62) hoc loco. Contra in eo omnia sunt (v. 58), ut aperte declaret culpae labem numquam deleri posse seque perpetuis doloribus affici, quod peccaverit. Hinc de culpae aeterna infamia loquitur:

---

1) e. g. Trist. IV, 4, 47.

2) quamquam inter tristia, quae animo praesagit, poena post mortem quoque locum habet. Tr. III, 3, 59—64. V, 7, 3 sq. P. I, 2, 113. cf. Ibidis vv. 129 sqq. 139 sqq 159 sqq.

v. 66 ne non peccarim, mors quoque non faciet.

cf. Tr. IV, 9, 25 nec tua te sontem tantummodo saecula norint:
perpetuae crimen posteritatis eris.

Gloriae et nomini macula semper inhaerebit (effugiunt structos nomen honorque rogos P. III, 2, 52). Sunt quoque Manes aliquid, dedecus peccati sentient, ut sensere parentes mortui (Tr. IV, 10, 55 sqq.).

Culpam ergo quum immortalem fore sciat, animi noxii cruciatus oriuntur in quibus describendis uberior est poeta. At, ut hoc primum opponam Bentleio et Merkelio vv. 67—68 proscribentibus, qui veniam impetrare student verbis parcere non solent. Magis sane brevitati consuluit:

Tr. V, 1, 77 „nolumus assiduis animam tabescere curis."

Nec non obstant, quominus tollas distichon (67—68) loci similiter conformati, veluti P. I, 3, 3—10. Objicit deinde Merkelius praef. XXI: „Etiam proxumum (dist. 67—68) „plane evagatur a sententia instituta: non de animi infirmi- „tate agitur, ut I, 2, 55, unde haec sumpta, sed de morsu „stimulisque conscientiae, qui reconciliatione levari possunt. „eius spei aliqua mentio vv. 63 et 68 conexuerit oportet."

Hic vir doctus argutias proferre mihi videtur. Quod enim discrimen inter dolores quos vel culpa vel poena praebet? Si curae pectus mordent (vv. 73—4), mens tabescit credo [1].

---

1) Deinde poenam, non stimulos conscientiae Augustus levare potest (vv. 57. 64. 77. 80) Tria distinguenda sunt: poena, culpa et culpae dolores. Sic dicit Trist. II, 315 nil nisi peccatum manifestaque culpa fatendum est.
paenitet ingenii iudiciique mei.
et Midan se peccasse fatentem restituit Bacchus Met. XI, 132 sqq.

At P. I, 3, 43 habes exilii morsus cf. P. II, 7, 39—46. Statuendum mihi videtur excusari sermonis subtilitatem et abundantiam eo quod Ovidius ipse pro se causam oret cf. Tr. V, 1, 10. 27 sq. — Superest ut singula verba et compositionem distichi prioris (65—66) examinemus. Exempla ad formam et compositionem defendendam congessit Kornius. In rem est quoque:

Tr. III, 11, 27 Hector erat tunc cum bello certaret: at idem
vinctus ad Haemonios non erat Hector equos.

Amor I, 10, 43 (gratia) 44 (nulla gratia) Rem. 269 (poteras) 270 (non poteras).

Illud *cum venerit* quod admodum frigidum Dintero videtur me non aeque offendit lecto Tibull. I, 1, 59

te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
te teneam moriens deficiente manu.

Huiusmodi additamenta saepe per parenthesin interjiciuntur[1]) apud Ovidium. Eodem jure *cum velit* Met. XI, 432 in dubium vocari potest.

Restat vitium, quod detexit Dinterus. Particula negativa (ne) in pentametro sententiam profert contrariam eius, quam in mente habuisse poetam putamus. Simile vitium notat Dinterus in P. I, 3, 89—90. Expectatur sane *ut*[2]), quod altera manus in cod γ. supra scripsit. Hic haeremus. Putat

1) cf. illud *memini* (recolo Her. V, 113). eleg. in Maec. I, 61 sum memor (et certe memini) cf. Ruhnk. dict. in Her. III, 101.

2) Art. II, 101 non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbae. Pont. II, 2, 24 non tamen efficies ut timeare mihi.

Kornius (Stroph. 216) nos debere versus spurios discipulorum tentaminibus. Hoc autem interpolationis genus abesse dicit Merkelius (praef. VI).

Qui viri docti quum dissentiant malo, ubi plura Ovidium auctorem prodere videntur genuinos habere vv. 65—66, quam falsarium quendam laudare, quod tam prope accedat ad artem Ovidianem. Negationum repetitio ergo membrorum aequabilitati inservire putanda est[1]). Non grammaticis Ovidius scripsit (Pont. III, 9, 17).

P. I, 2, 19 at semel intentus nervo levis arcus equino
vincula semper habens inresoluta manet.

Conjecit et edidit Merkelius *at simul .... canet*, quod vertit per: simul atque insonuerit arcus. Hoc non probo. Perpetua[2]) enim, non fortuita pericula poeta describit, ut jam observavit Dinterus Comm. I, p. 24. *Semel* cum participio conjunctum alibi quoque apud Ovidium invenitur[3]); idem valet

Tr. V, 6, 11 quem semel excepit, numquam Podalirius aegro
promissam medicae non tulit artis opem.

Hor. Ep. I, 18, 71 et semel emissum volat inrevocabile verbum.

Sententiae accumulatae exempla cito Tr. III, 1, 39 sqq. Pont. III, 6, 22.

---

1) Eandem molestiam praebet Prop. III, 12, 5 et 32 (absenti nemo ne nocuisse velit). (Tib.) IV, 1, 128, 165. 7, 7.

2) Met. II, 502 immotosque oculos in se sine fine tenentem.

3) Met. V, 155. Tr. I, 1, 85.

cf. Dinter. Comm. I, 17 ad P. I, 1, 73 sqq.

Monet quidem Phaedra Hippolytum:

Her. IV, 91 arcus, si numquam cesses tendere, mollis erit at apud Hor. Od. III, 8, 23 res singularis est quod

jam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.

P. I, 2, 21: tecta rigent fixis veluti vallata sagittis
portaque vix firma summovet arma sera.

Vocabula *velata* et *vallata* saepius in codicibus permutantur [1]). Dum Amor III, 13, 12. coll. vv. 23 sqq. et Pont. IV, 14, 55 facillime dijudicari potest, utrum verum sit, nostro loco editores dubitant, inter quos Kornius et Riesius tuentur *velata* (c. d. A.). At non, credo, tecta rigent, quod sagittarum inhaerentium corona quasi velata sunt (nihil saltem rigidi habet „flava Ceres tenues spicis redimita capillos". Amor. III, 10, 3) neque domus densa telorum copia opertas describere voluit poeta. Asperiorem potius depingit Tomorum aspectum, cum per obsidionem sagittae trans muros volant (Tr. V, 10, 21 sq.) et tecta in modum valli cingunt. cf. sparsis hastis longis campus splendet et horret.

Apte igitur Merkelius confert:

Her. IV, 150 avus radiis frontem vallatus acutis
cf. Ibid. 73 radiis circumdata solis imago.
Fast. I, 355 radiis Hyperiona cinctum.

---

1) Georgic. III, 383 ideo conjectum *vallatur*.

P. I, 2, 23 adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti
et quod iners hiemi continuatur hiems.

Omnibus ceteris codd. posthabitis Heinsius et Merkelius receperunt unius Vaticani lectionem *laeti*, quo adjectivo cum ablativo juncto uti neque Ovidium neque Virgilium affirmat Kornius (Bem. [1]) 8 sq.) Legimus tamen

Georg. II, 184 at quae pinguis humus dulcique uligine laeta
quique frequens herbis et fertilis ubere campus.
Georg. II, 112 litora myrtetis laetissima

At neque *laeti* neque *feti*, quod proposuit Kornius coll. P. I. 7, 13 mihi substituendum videtur, quia hic non fertilitatis et amoenitatis expertem sed planum et aequum locum esse dicit Ovidius. Sic modo omnino arbores abesse tradit modo poma et uvas desiderari: interdum arbores cum steriles tum pomiferas agro Tomitano esse negatas affirmat. Appono locos, quibus terram prorsus carere arboribus scribit.

Tr. III, 10, 75 adspiceres nudos sine fronde sine arbore campos
Tr. III, 12, 16 nam procul a Geticis finibus arbor abest
Pont. IV, 10, 31 hic agri infrondes
Pont. I, 3, 52 non salices ripa, robora monte virent
Pont. III, 8, 15 tristia deformes [2]) pariunt absinthia campi
Pont. III, 1, 20 tristia per vacuos horrent absinthia campos

---

1) Dr. O. Korn: Bemerkungen zur Handschriftkunde der Ovidianischen Bücher ex Ponto. Wesel 1866.

2) Trist. V, 2, 63 Euxini deformia litora aequoris.

Tr. V, 13, 21 cana prius gelido desint absinthia Ponto

Pont. III, 1, 19 rara, neque haec felix, in apertis [1]) eminet arvis
arbor et in terra est altera forma maris.
non avis obloquitur nisi silvis siqua remotis
aequoreas rauco gutture potat aquas.

cf. de Scythia Met. VIII, 779 sq. Virg. Georg. III, 353 sqq. Itaque ager Tomitanus est

purus ab arboribus spectabilis undique campus

et nullis arboribus tegi apte dicitur, quamquam leve discrimen esse concedo; nec displiceret conjectura Vaticani si modo assentirentur reliqui codices, nam

locus est inamabilis et quo
esse nihil toto tristius orbe potest. (Tr. V, 7, 43 sq.).

Adjectivi usum e Virgilio cognitum supra vidimus. Nil opus igitur exempla e Seneca et Quinctiliano citare. Accedit quod Curtii locus (V, 4, 13), quem cum illis laudant elegantioris sermonis studiosi, perinde ad meam explicationem facit. Legitur enim ibi primum „omnia contegi frondibus". Sequitur: „platani quoque et populi contegunt ripas", deinde in fine oratio variatur: „colles frondibus laeti".

P. I, 2, 63 nec tamen ulterius quicquam sperove precorve,
quam male mutato posse carere loco.

Conjecerunt olim Heinsius *mutando*, Bentleius *morato* vel

---

1) Cic. de div. I, 42, 93 Aegyptii et Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi coeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.

pacato. Proposuit Kraffert [1] *tutato.* Neglecta igitur vel non probata Dinteri explicatio (Comm. I, p. 31) „et tamen spes mea precesque non ultra procedunt quam ut alium meliorem quidem hoc optem exilii locum, sed non bonum" quam jam occuparat Harlesius annotans [2]: „*male mutato loco* h. e. loco, licet male mutatus sit, modo sit tutior." addere potuisset: et propior. cf. vv. 103. 128. 150. His tamen assentiendum esse censeo. Mutabit enim locum Ovidius antequam eo carebit cf. P. II, 8, 65

nam caput e nostra citius cervice recedet,
quam caream raptis, o publica numina, vobis.

Aliud quid valet verbum *mutare* Trist. III, 5, 53. Plures deinde loci, quam Dinterus laudavit, sententiam prolatam probant. E. g. Tr. V, 2, 73 hinc ego dum muter, vel me Zanclaea Charybdis devoret....

P. IV, 14, 5 suntque ultima vota
quolibet ex istis scilicet ire locis,
nulla mihi cura est, terra quo muter ab ista:
hac quia, quam video, gratior omnis erit.
in medias Syrtes, mediam mea vela Charybdin
mittite praesenti dum careamus humo.
Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Histro,
si quid et inferius, quam Styx, mundus habet.

Tr. III, 8, 22 ex his me jubeat quolibet ire locis.

---

1) v. Ehwald Bursiani nunt. annal. XXXI, p. 192.
2) T. C. Harles animadversiones interpretum excerpsit suasque adjecit in editione Ai 1772 (Erlangae).

P. I, 2, 97 (9) di faciant igitur, quorum justissimus ipse est
alma nihil maius Caesare terra ferat,
utque diu sub eo sic sit sub Caesare terra,
perque manus huius tradita gentis eat.

Inter hos versus 99 depravatus est. Kornius jam probavit mendum non latere in verbis extremis, quae mutarunt primum codices aliquot deinde Heinsius alii. Inde conjecit idem: *vivo subsit* (Bem. 10) vel *salvo* (ut edidit 1868), Riesius *salvo vigeat*; Merkelius de emendatione desperat et vv. 97—100 sensu carere contendit. Mihi pro *sub eo* in mentem veniunt: *cupio* [1]) vel *summo* (Fast. I, 608). At si inter se respondere debent *ut* et *sic* (P. III, 3, 71) malim:

utque diu Iove sub [2]) sic sit sub Caesare terra

cf. Met. VI, 178 me regia Cadmi sub domina est. Her. VIII, 78 clamabam „sine me, me sine, mater, abis?" *Di faciant* duplicem constructionem admittit, de qua consulendus Owenius (Tristia.[2] Book I. Oxford 1890. ad I, 1, 58). Litterae *s* frequentia et *sub* iteratum (Met. VIII, 741) non displicent nec asper sonorum concursus in *sic sit* (Tr. V, 3, 39. P. II, 8, 45). Redarguere denique in animo est, quae Merkelius objecit. Vertit: „di, inter quos ipse Caesar, faciant, ut sub hoc terra sit." Offenderet eundem, credo, P. III, 9, 27, „atque ita di mites minuant mihi Caesaris iram" et

1) Tr. V, 6, 20. Fast. II, 64 (opto). Her. 13, 49 (precor). Tr. I, 2, 3. III, 1, 77.

2) Fast. II, 138.

Tr. III, 1, 75 forsitan et nobis olim minus asper et illi
evictus longo tempore Caesar erit.
di, precor, atque adeo — neque enim mihi turba roganda est —
Caesar, ades voto, maxime dive, meo!

Ceterum duo tenenda sunt: primum est, quod inter Deos Augustum potissimum spectare solet Ovidius Tr. III, 1, 77 sq. 2, 27 sq. P. I, 1, 63. Ibid. 23, alterum, quod saepe minus distinguit inter Augustum virum et deum cf. Trist. II, 54 sq. III, 1, 75 sqq. V, 2, 45 sqq. Requirit porro Merkelius post v. 98 (100) aliquid velut:

Si maiestatem sanctae clementia mentis,
iustitiam veniae si comitatur amor.

„namque" addit, „sine aliqua eiusmodi conversione quod sequitur *At tu* inconcinnum foret." Jam satis, puto, laudavit poeta Caesarem mitem et justum, ut post digressionem (71—96) rediret ad Fabium Maximum cf. P. III, 6, 39. Illud *tam placido* e. q. s. annectit priora, quae votis pro Caesaribus dividuntur.

P. I, 2, 107 denique, si moriar, subeam pacatius arvum,
ossa nec a Scythica nostra premantur humo.

Edidit Guethlingius[1]: ossa nec a! Scythica e. q. s. Interjectio displicet non tam propter sedem (Tr. V, 10, 51 Lygdam.

1) P. Ovidi Nasonis Fasti, Tristium libri, Ibis, Epp. ex Ponto, Halieutica, fragmenta. edid. O. Güthling. Lipsiae 1884.

6, 27 cf. Riese ad Catull. 15, 17) quam quod praepositio otiosa non abhorret ab usu Ovidiano. Compara „deceptus ab arvo" .P. I, 5, 33. cf. Owen ad Tr. I, 11, 12. K. Guttmann, Sogenanntes instrumentales ab bei Ovid. Progr. v. Dortmund, 1890.

P. I, 3, 83 persequar ut cunctos, nulli datus omnibus aevis
tam procul a patria est horridiorve locus.
quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
qui facit ex dictis non ita multa tuis.

Dicta sunt praecepta et solacia [1]) Rufini, quae fere nihil valere ad aegritudinem minuendam respondet poeta. Vel totum distichon (85—86) vel v. 86 damnari solet. Kornius (Stroph. p. 212 sqq.) contendit non elucere, quo sint referenda illa *quo magis*. At finem imponunt iis, quae excusationis gratia enumeravit poeta (cf. Tr. I, 11, 35. P. III, 4, 43. Cic. ad Att. IV, 6, 3): nec obstat oppositio inter vv. 85—86 et vv. 87—88

nec tamen infitior, si possint nostra coire
vulnera, praeceptis posse coire tuis.

ut videtur viro docto, nam Tr. V, 12 iisdem fere verbis amici consilium abjicit et quae inde a v. 59 ibi leguntur in fine addidit, ne prorsus consilia reicere et spernere videretur cf. P. III, 4, 65. Operae pretium est componere Ca-

---

1) Iuvant poetam magis »mollia verba" (P. III, 6, 14) quam aspera (P. II, 6, 8), nam »respuit atque odio verba monentis habet" (Rem. 124).

tulli responsum urbanum (c. 68). Sed videamus singula. Haerent interpretes in verbo *facere* quod Dintero [1]) est *proficere*. At exprobratio omnis aliena est a loco deinde aliunde non constat dici posse *facere multa ex aliqua re* pro inde multum consequi, ut monuit Korn Stroph. p. 213. Fortasse deceperunt Dinterum Ciceronis epistulae [2]). Legitur ad fam. V, 13, 1 „quamquam ipsa consolatio litterarum tuarum mihi gratissima est — tamen illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem et optume contra fortunam paratum armatumque cognovi"; ad fam. VII, 10, 3 scribit Trebatio: „sed tamen iis litteris, quas proxime dedi, putavi esse hominem (sc. Caesarem) commonendum. id feci: quid profecerim, facias me velim certiorem." Sed rariorem huius verbi significationem statuere non opus est. *Facere* in usu est in adhortationibus. Cic. ad fam. XIV, 3, 3 „ego tamen faciam quae praecipis". Ad Q. fr. I, 1, 12, 35 „potes etiam tu id facere, quod et fecisti egregrie et facis, ut commemores, quanta sit...; ibid. § 36 „sed quid ego te haec hortor, quae tu non modo facere potes tua sponte sine cuiusquam praeceptis, sed etiam magna jam ex parte perfecisti?" Cic. de Orat. III, 52, 201 „quod quidem vos etsi facitis, tamen admonendos puto." Non aliter utitur hoc verbo Ovidius, quum uxorem adhortatur in ultima Tristium epistula

v. 43 nec te credideris, quia non facis, ista moneri:

---

1) B. Dinter de P. Ovidii Nasonis ex Ponto libris commentatio altera. Grimae 1865, pag. 36 sq.

2) Dinter Comm. II, p. 39 adnotavit e Cic. ad fam. V, 13 nonnulla, quae non multum absunt a summa et clausula nostrae epistulae.

vela damus, quamvis remige puppis eat.
qui monet, ut facias, quod jam facis [1]), ille monendo
laudat et hortatu comprobat acta suo.

cf. P. II, 6, 15. III, 1, 99; sic *jussa facere* (M. III, 154. F. I, 379) et *dicta facere* (Fast. II, 375. III, 515) [2]) in usu sunt. Praepositio *ex* addita pro genitivo partitivo non offendit. Remed. 51. Tr. IV, 7, 10. V, 1, 25. V, 3, 15. P. III, 2, 4. 13. III, 5, 13. 6, 30 [3]). Negat deinde Kornius inter se conciliari posse vestra (85) et tuis (86). At confer P. I, 5, 9 „haec quoque quae legitis, si quid mihi Maxime credis." Quae est in versibus 86 et 88 exituum consonantia redit P. III, 3, 80 et 82. Fast. II, 366—8. Reliquum est ut Dinteri opinionem refellam; *dolenti* substantivi vice fungi non posse declarat Comm. II, 37; invenies tamen *dolentes* Tibull. I, 8, 73. II, 3, 73. Prop. IV, 9, 7. Lydia 42 quamquam maior amantium [4]) numerus. Defenduntur denique *non ita multa*, quibus substituere proponit Merkelius *nomina magna* (praef. XXV), loco P. III, 2, 45 „(est locus in Scythia) qui Getica longe non ita distat humo". cf. non pauca Tr. V, 7, 59. P. II, 3, 25 [5]). Genuinos igitur habeo vv. 85—86. Veniam sibi petit afflicto, quod paucis tantum dictis sapientibus obtemperet (8. 27 sq.).

---

1) Cic. ad Quint. fr. I, 1, 2, 8. 16, 45. ad fam. XV, 21, 4.

2) cf. Senec. Epist. 95, 45 „haec (sc. praecepta) nemo faciet" et § 66.

3) Tac. Germ. 29 Batavi non multum ex ripa sed insulam Rheni amnis colunt.

4) Tertia persona saepe utitur poeta cf. Met. II, 518. Tr. V, 7, 30. P I, 8, 30. II, 2, 85.

5) Tr I, 7, 35 (bene multa) P. IV, 2, 29 (parvaque, ne dicam scribendi nulla voluptas). Her. 18 (19) 170 (exiguum, sed plus quam nihil illud erit).

In epistula quarta libri primi comparat inter se Ovidius labores Iasonis et suos. Uterque in Pontum profectus est (vs. 27), sed

vs. 31 iunctior Haemonia est Ponto, quam Roma sit Histro.

Probavit hunc loquendi morem Heinsius ad P. I, 1, 61. Conjecit Burmannus invitis omnibus codicibus[1]: *sinistro.* Hanc emendationem, in qua totius distichi salus posita, defendere iuvat[2]. Iam minus displicebit mea sententia, si modo concedes Ovidium, ut et animum lectoris moveret et Argonautarum expeditionem cum itinere suo recte compararet, gentes indomitas Ponti Euxini ut vicinas finxisse. Quod ex his exemplis apparere puto. Exilii sedes audit *orae Scythicae* (Tr. IV, 9, 17) *Sarmatis ora* (Tr. V, 3, 8). *Cimmerium litus* (P. IV, 10, 1). Eandem licentiam poeticam cognosces

Tr. II, 191 Iazyges et Colchi Metereaque turba Getaeque
Danuvii mediis vix prohibentur aquis

P. I, 2, 77 nec vacat (sc. Augusto), in qua sint positi regione Tomitae,
quaerere, finitimo vix loca nota Getae:
aut quid Sauromatae faciant, quid Iazyges acres,
cultaque Oresteae Taurica terra[3] deae:
quaeque aliae gentes, ubi frigore constitit Hister,
dura meant celeri terga per amnis equo.

---

1) *Hister* quoque corruptus P. III, 2, 44.

2) Fuit cum suspicarer: *Sarmatis urbi; Sauromatis urbs* non defendit „Aonius fons" (P. IV, 2, 47). At *ora* vel *tellus* aegre desideratur.

3) Tr. IV, 4,63. P. III, 2, 45.

vel ubi maiora quam Ulixem se expertum esse mala narrat P. IV, 10, 25

Scylla feris trunco quod latret ab inguine monstris,
Heniochae nautis plus nocuere rates,
nec potes infestis conferre Charybdin Achaeis,
ter licet epotum ter vomat illa fretum.
qui quamquam dextra regione licentius errant,
securum latus hoc non tamen esse sinunt.

Dextra nimirum regio est Asiae ora maritima, nam suam (in Colchide) piratae non infestant (Joseph. B. Iud. II, 16, 4). Reliquit igitur topographiam receptam, quam sequitur Velleius (II, 40) Pompei triumphos commemorans „deinde flexum agmen ad eas nationes, quae dextra atque intima Ponti incolunt, Colchos Heniochosque et Achaeos."

Ad partem sinistram Ponti Euxini pertinere Colchos e Medeae epistula quoque discimus. Scribit enim de patre:

Her. 12, 27 Scythia tenus ille nivosa
omne tenet, Ponti qua plaga laeva jacet.

Quae cum ita sint non offendimur eo, quod nostrae epist. v. 23

adspice, in has partes quod venerit Aesone natus

dicit Ovidius, nec molestias praebet Amoris oratio, qui nocte Nasonem conveniens haec inter alia respondet:

P. III, 3, 77 ut tamen adspicerem consolarerque jacentem,
lapsa per immensas est mea penna vias.
haec loca tum primum vidi, cum matre rogante
Phasias est telis fixa puella meis.

Adjectivum *sinister* non translate [1]) esse accipiendum concedunt interpretes. Owenius autem partem occidentalem [2]), septentrionalem nostro loco Keenius [3]) intelligit.

His explicatis respondeo Kornio (Stroph. p. 205) simplicem orationis progressum non magis interrumpi vv. 31—32 quam Tr. I, 5, 59—63, quae epistula nostrae simillima. Movit deinde difficultatem Merkelius praef. XXI. „In proximis" ait „de navigatione poetae dicitur quam in Pontum ipsum nullam fecit." Cur, rogo, idem editor non proscripsit

Tr. V, 2, 61 arva relegatum iussisti visere Ponti
et Scythicum profuga scindere puppe fretum?

Praejudicata opinio, puto, fraudem fecit Merkelio nec integra Kornio judicandi potestas computationibus dedito. Me saltem v. 31 corruptela non movet ut totum distichon eos secutus damnem.

P. I, 4, 47 te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui,
credibile est nostris insenuisse [4]) malis.

---

1) Est controversia de Tr. I, 8, 39. H. Schulz, Quaest. Ovid. Gryphiswaldiae. 1883. pag. 6. G. Wartenberg, Quaest. Ovid. Berolini. 1884. p. 32. Ehwald, Bursiani nunt. annal. XLIII, p. 133.

2) Ad Tr. I, 2, 83 in ed. min. et in ed maiore (P. Ovidi Nasonis Tristium Libri V. recensuit S. G. Owen. Oxonii, 1889).

3) C. H. Keene, Ovidii Epp. ex Ponto liber primus. With introduction and notes. London, 1887. Ceterum »exit in inmensum fecunda licentia vatum, obligat historica nec sua verba fide" Amor. III, 12, 41 sq. 19. Vera est Senecae observatio (de benef. I, 3, 10). Sic laudator Messalae (Tib. IV, 1) scribit v, 146 »quaque Hebrus Tanaisque Getas rigat atque Magynos." cf. Florus, I, 39, 6.

4) Her. I, 115 sq.

o! ego, di faciant, talem te cernere possim,
caraque mutatis oscula ferre comis.

An hoc osculandi genus parum mariti affectum referre putandum est? Heinsius quidem affirmat praestare *genis*, quod recepit Guethlingius spretis melioribus codicibus. Omnem dubitationem tollent, credo, verba sequentia

amplectique meis corpus non pingue lacertis
et „gracile hoc fecit" dicere „cura mei."

nam saepius duo formae intereuntis indicia (cani et rugae vel macies) commemorantur, veluti in initio huius epistulae ad uxorem datae:

iam mihi deterior canis aspergitur aetas
iamque meos vultus ruga senilis arat.

Praeterea in damnis corporis describendis comae genaeque mutatae conjunguntur Art. II, 117—8. III, 73—6. 443—4. Tibull. I, 8, 9—12. II, 2, 19—20. Prop. III, 10, 5—6. Laudavit Kornius (Bem. z. Handschriftk. p. 8). Prop. III, 10, 17 et Apul. Metam. II, p. 119, ut verba *oscula ferre comis* defenderet. Lectionum varietas vulgaris illustratur apud Burmannum (ad her. V, 72. XI, 92).

P. I, 5, 9 haec quoque, quae legitis, siquid mihi, Maxime, credis,
scribimus invita vixque coacta manu.

Licenter mutata est vox *coacta* in codd. Legendum proprosuit Heinsius *properata* vel *perarata*. Riesius tentavit *subacta*. At bene se habet lectio meliorum codd. cf. P. IV, 2, 27 sq. Met. VI, 628.

De imparibus coordinatis egit Dinterus Comm. I, p. 21. Comparo Tr. I, 8, 24: cernere supremo dum licuitque die.

P. I, 5, 19 scilicet incipiam lima mordacius uti
et sub iudicium singula verba vocem?
torquet enim fortuna parum, nisi Lixus in Hebrum
confluat et frondes Alpibus addat Atho?

Locutionem usitatam „frondes addere silvis" (P. IV, 12, 13) huc introducere studet Merkelius, qui *saltibus* edidit. At nullam corruptelam deprehendo. Emendandi munus detestatur poeta, quod augeat labores. Ita deprecatur Tuticanum P. IV, 12, 38 hic cumulus (duritia tua) nostris absit.... malis cf. Met. V, 23 scilicet haud satis est quod te spectante revincta est Her. IV, 47 haec mihi ferre parum! peregrinos addis amores. Eodem modo scribit poeta duarum puellarum amore incensus Am. II, 10, 11:

quid geminas, Erycine, meos sine fine dolores?
non erat in curas una puella satis?
quid folia arboribus, quid pleno sidera coelo,
in freta collectas alta quid addis aquas?

Non de vanis et supervacaneis negotiis, sed de laboribus auctis, amplificatis agitur cf. Trist. V, 6, 41

tam me circumstat densorum turba malorum:
crede mihi, vero est nostra querela minor.
hic qui contentus non est, in litus harenas,
in segetem spicas, in mare fundat aquas.

unde ut pars saltem levetur precatur noster Tr. V, 2, 19 sqq. 53 sq. P. I, 3, 13. Quibus locis ad sententiam explicandam enumeratis restat ut lucem afferamus singulis verbis tentatis.

Laudantur saepe pro montium exemplis Alpes et Atho.

e. g. Art. III, 150 nec quot apes Hyblae, nec quot in Alpe ferae
Art. II, 517 quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla
Met. II, 216 silvae cum montibus ardent: ardet Athos.

Deinde naturam montes frondibus ornasse Ovidius nos et alibi docet et P. IV, 5, 41 „nam prius umbrosa carituros arbore montes" cf. P. I, 3, 52. Ibid. 135: robora dum montes, dum mollia pabula campi (habebunt). Sic de Pelio dicitur Fast. V, 381 summa virent pinu, cetera quercus habet cf. Her. X, 25. Met. III, 708. V, 612. X, 103. Her. II, 113. IV, 85. Art. III, 574. Ibid. 195. Virg. Bucol. V, 63 (intonsi montes). Quare rejicio conjecturas *montes* (Burmanni et Riesii) et *fauces* Guethlingii.

P. I, 7, 17—22

me miserum si tu verbis offenderis istis
nosque negas ulla parte fuisse tuos.
idque sit ut verum, mentito ignoscere debes:
nil demit laudi gloria nostra tuae.
quis se Caesaribus notus non fingit amicum?
da veniam fasso: tu mihi Caesar eras.

Defendere conabor distichon medium et ultimum, quod utrumque damnavit Merkelius, illud suo Marte, hoc Hein-

sium et Bentleium secutus. Alterum (19—20) necessarium esse apparet collato versu 35, alterum eo commendatur, quod Ovidius item ad Caesaris exemplum provocat Tr. IV, 4, 7—16, quae epistula ad eundem Messalinum missa est [1]). Sic saepius poeta dicit, quo auctore quid fieri liceat e. g. Tr. II, 67 sqq. P. II, 1, 7—10. Nec displicet adulatio: immo requiritur. „Precor" enim ait v. 6. „esse tuus", „quolibet in numero me repone", „sim modo pars vestrae non aliena domus" (v. 67—8). Cum Messalino, qui olim fautor erat (Tr. IV, 4, 24. P. I. 7, 26. II, 2, 3 sq. 103 sqq.), poeta in gratiam redire studet nec blandiens modum excessit. Nimiam laudem fautoribus et amicis tribuere Ovidius numquam veretur, quod exemplis probabo. Narrat Cottam, Messalini fratrem, Celso dei instar fuisse.

P. I, 9, 35 nam tua (Cotta) non alio coluit penetralia ritu,
terrarum dominos quam colis ipse deos.
49 qui potuit, quem tu (Celse) pro numine vivus habebas,
praestitit officium Maximus omne tibi.

Sextus Pompeius ei a superis primus est (P. IV, 15, 3), scribit tamen Cottae:

Tr. V, 9, 11 Caesaris est primum munus, quod ducimus auras
gratia post magnos est tibi habenda deos.
P. II, 3, 81 te tamen ante omnes ita sum complexus, ut unus
quolibet in casu gratia nostra fores.

Fabii Maximi morte concidit „ipsum auxilium" P. IV, 6, 14.

---

1) Graeber, Qu. Ovid. I, p. 20.

Attici amici judicium magni se aestimare noster profitetur his verbis (II, 4, 15) „quod tu laudabas, populo placuisse putabam". Messalinus igitur, qui tanta gratia [1]) apud Augustum florebat, alter Caesar in hac epistula vocari potuit [2]). — Ovidium auctorem deinde agnosces et e verbis additis (da veniam fasso) et e tota compositione. Confero enim P. III, 2, 13—16 (quis non-me), quo loco duobus quidem distichis utitur poeta, sed more suo, cum modo contrahat modo amplificet orationem cf. II, 4, 11—12. et II, 10, 35—38.

P. I, 7, 55 culta quidem, fateor, citra quam debuit illa (janua tua) est.
sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
nec tamen officium sensit domus altera nostrum:
hic illic, vestro sub lare semper eram.

Corruptelam v. 57 viri docti varie tollere conati sunt. Proposuit Merkelius *nec mancum*, in editione altera *ni claudum*, scripsit Kornius *nescit*; substituit *sic* pro *hic* et interpunxit post *illic* Ehwaldius (Bursiani Annal. 80, 113) versu 57, ut codicibus traditur, probato. At, ut Ehwaldio respondeam, finge *sic* significare *tantopere* [3]) — quam sententiam comparavit Heinsius conjiciendo: „nec tantum officii sensit

1) P. II, 2, 21 sq. (= II, 3, 63 sq. de fratre) ibid 47 (49) sq. 85 (87) sqq. Graeber, I, 17 sqq.

2) »Pace loquar Veneris, tu dea maior eris". Am. III, 2, 60. cf. Her. III, 52. XIII, 154. Rem. 464. Tr. I, 3, 86. Hor. Sat. I, 2, 125 sq. Virg. Buc. 3, 104.

3) Iuvenal. XII, 78 non sic igitur mirabere portus, quos natura dedit. Her. 7, 22.

domus altera nostri" — potestne *illic* Romam significare, quo sensu *istic* ponitur Tr. III, 3, 25. 10, 1. 12, 17. P. I, 9, 46. II, 10, 51—2 [1])? Vix equidem credo et accedit quod hac conjectura recepta frigent „vestro sub l. s. e." Aptius enim se utramque celebrasse domum dicit poeta, si retinemus *hic illic*, quae „sive in tua, sive in fratris tui domo" vertit Heinsius. Cum mihi ergo v. 58 conclusio sit, male se habere judico *domus* (57) verumque servare puto cod. Puteanum (= Parisin. 8239 = D.):

nec tamen officium sensit magis altera nostrum,

ut edidit Harles, qui adnotat: „lectio (domus) inde orta est, quod quidam ad voc. *altera* notarat *domus*: ab alio in textum receptum extrusit *τὸ magis*." Complectitur poeta v. 58 ea, quae de utraque (illa (55), altera (57)) ianua narravit.

Inde *domus* mihi abundare videtur, quae vox, utpote tam frequens [2]), facillime substitui potuit. Siquis autem mihi opponat P. II, 3, 79—82

nec quo sit primum nobis a tempore cultus
contendo fratrem posse referre tuum.
te tamen *ante omnis* ita sum complexus, ut unus
quolibet in casu gratia nostra fores.

moneo singulas epistulas eum, cui inscriptae sunt, potissimum spectare. Sic Cotta P. III, 2, 6 *ancora sola* est, Fabio autem Maximo mortuo concidit *ipsum auxilium* (P. IV, 6, 14).

---

1) cf. Tr. IV, 9, 10 (istuc) P. I, 5, 71. 83 (istuc) P. II, 2, 93 (= 95 = 97) istac. P. IV, 10, 35 (istinc).

2) De domo Valeria egit poeta Tr. IV, 4, 33. P. I, 7, 36. 68. II. 2, 1. 103. 108. II, 3, 73. III, 2, 108. Propter synonymorum inopiam variandi studio non aeque indulgere potuit poeta Art. III, 652—56, ubi quater occurrit vox *munus* semel interposito *donis*.

P. I, 7, 61 quid quod ut emeritis referenda est gratia semper,
sic est fortunae promeruisse tuae.
quod si permittis nobis suadere, quid optes,
ut des quam reddas plura, — precare deos!
idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
officii causa pluribus esse dari.

Hos versus Weise, teste Kornio, uncinis circumscripsit. Ignoro quibus argumentis ductus ita judicarit vir doctus nec talis sententiae rationes investigare possum. Prodam ergo, quid et de toto loco et de singulis sentiam. Poeta Messalinum, quocum in gratiam redire studet parum se coluisse confitetur (v. 55), cuius officii neglecti crimen et invidiam in fatum transfert[1]) (v. 56). Cum autem mollis et infirmi animi sit tali modo veniam petere, ad fratrum concordiam (Tr. IV, 5, 29 sq. P. I, 7, 31 sqq.) alludens per Cottae amicitiam Messalinum movere temptat. At hucusque causam suam minus prospere sibi agere videtur. Hinc ad adulationem confugit. Potentibus[2]) ait, contingit, ut beneficia prius in alios conferant quam ipsi accipiant. Non diversus est locus, ubi poeta noster Cottam laudat. Loquitur de amicis fidelibus P. II, 3, 31

quorum tu princeps; neque enim comes esse, sed auctor,
nec petere exemplum, sed dare dignus eras.

---

1) cf. Heroid. 4, 53.

2) cf. P. II, 9, 11 sqq. Praecipit Areus philosophus Iuliae Augustae (Sen. ad Marc. de cons. IV, 4) „nec quicquam pulchrius existimo quam in summo fastigio collocatas multarum rerum veniam dare, nullius petere."

Multa praeterea inter se communia habent epistulae ad M. Valeri Messallae Corvini filios missae. — Cottae opere oratorio ita delectatus est Ovidius (P. III, 5, 29), ut hac voluptate saepius frui velit:

legenda | saepe, precor, studii pignora mitte [1]) tui
exemploque meo [2]), nisi dedignaris id ipsum,
utere, quod nobis rectius ipse dares.

Neque frustra iterum inspicies libri secundi epistulam tertiam, ubi haec leguntur

v. 95 pro quibus (fomentis) optandi si nobis copia fiat,
tam bene promerito commoda mille precor.
sed si sola mihi dentur tua vota, precabor,
ut tibi sit salvo Caesare salva parens.

Habes ibi verbum *promereri* [3]) et vota aliena tangit poeta, ut tetigit P. I, 8, 69 sqq. II, 6, 17 sq. IV, 6, 21 sq. 9, 51 sq. 71 sq. At plura illustrare desinam. Exempla nostro loco consimilia vix reperientur. Colorem contra Ovidianum quivis in his epistulis versatus deprehendet [4]). — Devenimus

---

1) cf. IV, 2, 50.

2) v. 35 sq.

3) Senec. de vita beata c. 24 „hunc promereor, illi reddo". idem de benef. I, 3. Participia *promeritus* et *emeritus* idem significant. vide Heins. ad Her. VI, 138. Amor. II, 8, 24. Deinde haec exempla collegi: Suet. Aug. 8 (in promerendis sociis). Vell. II, 102 (Censorinum demerendis hominibus genitum). Val. Maxim. V, 2, ext. 4, (juvandi et emerendi cupiditas).

4) Sunt tritae locutiones *quod si permittis* (Her. V, 4. VI, 3. Met. X, 19 sq. Tr. IV, 5, 13. 9, 1. V, 9, 1. P. III, 6, 57. IV, 2, 4), *idque facis* (P. II, 3, 48. 5, 35. 6, 15. III, 1, 90. Tr. V, 14, 43 sqq.); verbo *meminisse* abutitur fere poeta. Amor. II, 2, 16 (dare — reddere) Val. Maxim. VIII, 14, 3 (referre — inchoare gratiam) Art. I, 705 (coepisse priorem).

ad corruptelam v. 66, quae nondum sublata est, nam si Messalinus officii causa esse non gravatur et fastum deponit — edidit enim Merkelius

solebas | officii causam pluribus esse pati

beneficium laude caret. Eodem vitio laborat id, quod C. Schenkl legendum proposuit Guethlingiusque recepit

solebas | officii causa pluribus esse dator.

Nonne qui munificus est, ut colatur, parum honeste agit? Probabilior certe Madvigii conjectura (o. causam p. ipse dare) quam vulgavit in adversariis criticis his additis: „Etiam Amor. I, 4, 46 *esse* in optimo codice non ex *ecce* ortum est, quod post Heinsium Merkelius posuit, sed ex *ipse*, quod ceteri habent." At hic codicum testimonium consentit [1]) in voce *esse*, quam et refert compendium ēē in cod. Tegernseeensi (*γ*) in locis II, 7, 35. 65, ut mihi apparuit e Kornii progr. Strehlensi de codd. Monacensibus. Nimis deinde a verbis traditis (habent codd. meliores *dari*, *γ* et ceteri *dati*) digreditur Burmanni emendatio (volebas [2]) — datam) quamquam alternant *volebat* et *solebat* P. I, 9, 33. Locutiones [3]) *causa esse* et *causam dare* permixtae omnia turbasse videntur. Sed licet versus, quem lacunae explendae causa factum esse contendit Roeper, nondum in integrum restitutus sit,

---

1) P. II, 1, 50 melior pars codicum male praebet esse pro isse (et̃ Argentor.) Incidi in: ipse dabit (Amor. I, 2, 24), ipse dares (P. III, 5, 32).

2) P. III, 3, 107.

3) Utraque obvia est. *Causa esse* Am. I, 4, 42. III, 11, 20. Art. II, 247. P. IV, 6, 11. *Causam dare* Her. 8, 59. Am. II, 17, 34. Met. XI, 781. Trist. II, 281. P. IV, 4, 40 et saepius. Opem fortasse afferet Art. I, 705—712.

tamen contagio liberos judico versus praecedentes vel invitis Weisio et Guethlingio. Id denique premendum epistulam nostram continere multa aspera et salebrosa poetae ingenio polito fere indigna.

P. I, 8, 17 ille memor magni generis, virtute quod auget,
protinus innumero milite cinctus adest.
nec prius abscessit merita quam caede nocentum
audaces animos contuderit populi.

Versus 20, qui in Hamburgensi intercidit, in codd. Monacensibus (*β. γ.*) legitur, ut scripsi, in deterioribus autem invenitur

se nimis ulciscens extitit ipse nocens.

Hinc lacunae statuendae opportunitate utitur Merkelius. At cod. Hamb. librarius saepius versus omisit, cuius negligentiae exempla dedit Merkel. (edit. pr. praef. IV): I, 2, 36. II, 6, 30. I, 2, 89 (an $^{88}/_{90}$ apud Korn.?). 9, 18, 19 [1]). Fuere praeterea viri docti, qui haererent [2]) in scriptura codd. Monacensium, inter quos Guethlingius praeeunte Riesio edidit: *contuderat*, quam correctionem minime probo, nam aut indicativus perfecti (*contutudit* Ennio reddidit L. Mueller annal. XVIII, 16 = v. 515) stare potest aut imperfecti vel plus-

1) Ex editione Korniana hos insuper versus aut suppressos aut margini additos collegi: I, 2, 10 (12). 26—7 (28—9). 49 (51). II, 7, 41. III, 1, 143. cf. Korn Stroph. p, 207 „singulis locis quid verum sit quid falsum enucleari debet."

2) Hand. Tursell, I. 401 „Perfecti conjunctivum probati scriptores non usurpabant, nisi ubi alia causa accedebat in oratione vel ex aliena sententia dependente, vel alio modo obliquata."

quamperfecti conjunctivus [1]). Inde qui *contuderit* tueri volent, perfectum plusquamperfecti vim habere judicabunt

Metam. XI, 739 senserit hoc Ceyx, an vultum motibus undae
tollere sit visus, populus dubitabat [2]):

Tac. annal. II, 15 „hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint." Conjunctivum apud Ovidium obvium esse post futurum in locis ἐκ τοῦ ἀδυνάτου qui vocantur (Ib. 39, 133 (41). P. I, 6, 53. II, 11, 6. 8. IV, 6, 50) non miramur; indicativus sequitur Tr. IV, 6, 37—8. Quidquid id est, versum apte convenientem sententiae rejicere non ausim [3]). Alterum autem versum miserum supplementum esse Merkelio[2] praef. XX libenter concedo. Lacunae explendae studio originem debere videtur Kornio (paaef. XIII). Ipsa verba falsarium produnt [4]) nec Odrysarum regem Sullae more [5]) modum excessisse putaverim; laudat enim Ovidius nec reprehendit. Male igitur

---

1) e. g. Sueton. Claud. 1 hostem.... non prius destitit insequi, quam species barbarae mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra sermone Latino prohibuisset.

2) Pont. III, 2, 87 extitit hoc unum quo non convenerit illis,
cetera pars concors et sine lite fuit.

3) Kornius praef XV neutrum genuinum habet, quamquam pentametrum codicis β longe aptiorem ducit.

4) In additamento cod. Moreti (E) post I, 8, 60 *nimium* occurrit. Quibus temporibus in usu fuerint quidque significarint vocabula *nimis* et *nimius* docet Baehrens ad Catull. LXIV, 22.

5) Lucan. II, 139 Sulla quoque inmensis accessit cladibus ultor.
ille quod exiguum restabat sanguinis urbi
hausit; dumque nimis iam putria membra recidit,
excessit medicina modum nimiumque secuta est,
qua morbi duxere, manus. Periere nocentes,
sed cum jam soli possent superesse nocentes.

Keenius in ed. sua figmentum istud librorum recentium (Korn. praef. XV) recepit. Idem Keenius, ut cum Verpoorten Harles, dubitat utrum ad Rhoemetalcen an ad Cotyn (P. II, 9) alludat Ovidius. Patrem spectari opinor, in quem vv. 21—24. 17. (cf. P. II, 9, 45—6) melius cadunt quam in filium (P. II, 9, 5. 14). Obiit Rhoemetalces imperante Augusto ante a. p. Chr. 12, (id est ante epistulam (II, 9) ad Cotyn datam) ut videtur Mommsenio [1]). At temporis indicia quum nulla sint, dissentiunt interpretes. Adscribit primo exilii anno ep. II, 9. Cary, Histoire des Rois de Thrace pag. 72, Wartenberg autem de priore exilii tempore cogitat (Quaest. Ovid. p. 82). Sed nulla causa erat, cur Ovidius ad Severum, jucundum sodalem (v. 25), „structos inter fera proelia versus" [2]) mittens Cotyn juvenem (II, 9. 5) tanta laude (I, 8, 21) ornaret. Rhoemetalces contra saepius fortitudinis documenta dederat. Vell. II, 112. Dio Cass. 55, 30. Cary l. l. p. 64 sqq. Mommsen l. l. et Röm. Gesch. V, 35. 191. Pauly's Real Encycl. i. v. Odrysae.

P. I, 8, 21—24 at tibi, rex aevo, detur, fortissime nostro,
semper honorata sceptra tenere manu.
teque quod et praestat — quid enim tibi plenius optem? —
Martia cum magno Caesare Roma probet.

Summum votum positum est in Augusti amicitia

1) Mommsen. Reges Thraciae inde a Caesare dictatore (= Ephem. Epigr. II, p. 254.

2) P. II, 5, 19.

Tr. V, 9, 21 di tibi se tribuant cum Caesare semper amicos:
non potuit votum plenius esse meum.

vel in eiusdem judicio [1])

P. IV, 9, 69 judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
talibus Augusti tempus in omne frui.

cf. P. II, 2, 110. 6, 18. — quod nostro loco jam satis indicant verba „quid — optem". Quid ergo causae fuit, cur Keenius verteret: „quod et praestat" per „quod beneficium praestat aliis omnibus" [2])?

Voluit nimirum editor Britannicus explicare verba, quae Merkelio judice (praef. XXVI) nullam interpretationem patiuntur simulque evitare eiusdem viri docti emendationem: praesto est. Ab utroque autem dissentire libet, nam Ovidium continuam adprobationem expetere puto, in quam sententiam adducor locis quales

Tr. I, 10, 1 est mihi sitque, precor, flavae tutela Minervae
Her. I. 111 est tibi sitque, precor, natus qui....

Agnoscit [3]) poeta statum praesentem. Vide quoque:

P. III, 1, 136 (cum domus Augusti) laeta, quod est et sit,
plenaque pacis erit

Tr. I, 11, 36 si spe sunt ut sunt, inferiora tua

---

1) Senec. de benef. I, 15, 5: Crispus Passienus solebat dicere quorundam se judicium malle quam beneficium, quorundam beneficium malle quam judicium et subjiciebat exempla: malo, aiebat, divi Augusti judicium, malo Claudii beneficium.

2) Confert Iuven. 12, 86: sacro quod praestat rite peracto.

3) cf. „quod facis, ut facias". Tr. IV, 11, 45. P. III, 1, 90. Tr. II, 155. P. II, 6, 37.

Tr. IV, 9, 10 sim licet extremum, sicut sum, missus in orbem
P. IV, 5, 13 ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri

Alibi (Tr. IV, 7, 11 = Tr. V, 13, 19) poeta affirmat: quod precor, esse liquet.

Minime itaque viro officioso deos et homines negligentiae accusare propositum erat. Inde *quod et praestat*[1]) valet: ut jam te probat. Quae explicatio si admittitur alterum nanciscimur argumentum, quod, ut Rhoemetalcen regem dici intelligamus, suadet.

P. I, 9, 43 carmina jure damus raros testantia mores,
ut tua venturi nomina, Celse, legant.
hoc est, quod possim Geticis tibi mittere ab arvis,
hoc solum est, istic quod licet esse, meum.

Conjecturam Heinsianam (liquet) jure rejecit Madvigius hoc utens argumento (Advers. II, 102): „non quaeritur, quid certum sit Ovidii esse, sed quid solum Ovidii Romae esse possit, cum ipsi ibi esse non liceat"[2]). At, quemadmodum versus Ovidiani menti obversantes Heinsium ad errorem pellexerunt, sic Madvigio quoque fraudem fecerunt varii loci. Probat enim Siesbyei sui emendationem:

hoc solum est, istic quoi licet esse, meum

1) Tr. III, 5, 9. P. II, 6, 37. III, 1, 71.

2) Ita est, nam veluti *mens* pervenit in urbem (Tr. IV, 2, 58. P. I, 8, 34. III, 5, 49. IV, 4, 46. 9, 41) et *nomen* non exulat (Tr. III, 4, 45; cf. Tr. V, 3, 58 quod licet, inter vos nomen habete meum. Tr. IV, 3, 18 quodque potest secum nomen habere (sc. uxorem) tuum) — sic habent *jus urbis* libelli Tr. I, 7, 36. III, 14, 9. V, 1, 80. P. I, 1, 21. II, 2, 8.

Venerunt enim in mentem videlicet loci, quales

Tr. I, 1, 57 tu tamen i pro me, tu, cui licet, aspice Romam
Tr. V, 4, 3 qui mihi flens dixit „tu, cui licet, aspice Romam."
Tr. III, 12, 25 o quater.... beatum non interdicta cui licet Urbe frui
Tr. III, 14, 12 urbe tamen natis exsulis esse licet
P. III, 5, 48 gratia dis, menti quolibet ire licet
P. II, 2, 8 urbe licet vestra versibus esse meis

Quae tamen exempla non impediunt, quominus alteram quoque constructionem apud Ovidium comprobes nec haec valet lex: „expedita quaeque tantummodo esse genuina." Monuit et Kornius, ne omnia aut ad unam aut ad facillimam rationem accomodares [1]). Displicet deinde illud *quoi*, quam formam priscam ex antiquitate revocavit Madvigius (Advers. II, 102) ut conjecturam suam veri similem redderet [2]); constanter enim codices praebent *quod* nec *qui*, quod pro *cui* invenitur in nonnullis codicibus e. g. Trist. II, 460 (cf. Owenii adnotationem criticam). Ceterum ne Catullo quidem nisi dubitanter *quoi* adscribitur (Baehrens in edit Catull. proleg. p. 50; ad Catull. I, 1. Baehrens, Riese; L. Mueller de re metr.[2] p. 317). Quae cum incerta sint malo Guethlingio assentiri, quem supra descripsi. Hoc meum solum Romae commorari concessum est, huius praesentia non vetatur, pro-

---

1) Id vitium centies occurrit in codd. Heinsianis, ut passim observat Korn in opusculo Bemerk. z. Handschriftkunde der Ovidianischen Bücher ex Ponto (gymnasii Vesaliensis progr. 1866).

2) Idem studium arguit L. Muelleri conjectura Art. III, 655 (*quom* pro *quoque*) Diversum praeterea corrigendi genus est, quod citat Madvigius l. l., nam Advers. I, 68 dicit de erroribus ex *quoi* pro *cui* scripto ortis.

hibetur[1]). cf. Cic. Verrin. V, 32 „hodie Syracusanum in ea parte habitare non licet" et qui alii loci in lexicis et apud grammaticos citantur.

P. II, 1, 17 gaudia Caesareae mentis pro parte virili
sunt mea: privati nil habet illa domus.

Heinsio videtur scribendum *gentis*, cum subjungatur: privati nil habet illa domus. At conjectura, quam F. Koepp defendit probavitque Ehwald (Burs. annal. 43, 176. 231) mihi non placet. Domus Augusti sane laeta est P. III, 1, 135 sq. III, 3, 87 sq., nostro autem loco de gaudio Caesaris (7. 12.) agitur, quocum una gaudere, dolere et alii dicuntur.

P. II, 2, 21 quaeque tua est pietas in totum nomen Iuli,
te laedi, cum quis laeditur inde putas.
P. III, 3, 63 quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti
illum jurabas protinus esse tuum.

Nec obstat illud *domus*, quominus de uno Caesare cogites collato

Tr. I, 2, 101 quod licet et minimis, *domui* si favimus illi [2]),
si satis *Augusti* publica iussa mihi.

Caesarem laetum deinde describit poeta Trist. IV, 2, 66 cf. P. II, 2, 81

ipse (Tib.) super currum placido spectabilis ore.

Gaudia mentis quoque bene se habent cf. P. III, 4, 50

sic ad laetitiam mens mea segnis erat.

---

1) Prop. II, 9, 46 solus ero, quoniam non licet esse tuum.
2) Tr. II, 55 sq.

Levi mutatione igitur textum corrupit magis quam correxit Heinsius, quemadmodum errarunt librarii P. III, 4, 27, ubi *gentis* scripserunt versus 25 memores. Nostro autem loco codicum concordia scriptura *mentis* nititur.

P. II, 1, 37 protinus argento versos imitantia muros
barbara cum pictis oppida lata viris,
fluminaque et montes et in altis proelia silvis
armaque cum telis in strue mixta sua.

Ita edidit Kornius cod. Hamburgensi duce, cui tamen fidem denegant alii critici, quia inveniuntur in ceteris codd. scripturae: *veros*, *victis*, *suis* alia. Iuvat ergo illustrare textum Kornianum. Hoc potissimum pompae triumphalis consilium fuit, ut singula belli feliciter gesti momenta ante oculos populi ad spectaculum concurrentis ponerentur, quod et apparet in verbis citatis. Praeclaram enim Merkelii conjecturam (proelia), quae vox facillime in *perflua* vel *proflua* abire potuit tribus litteris prioribus per compendia usitata scriptis, confirmat locus Ovidianus P. III, 4, 26

nutrissent carmen proeliaque ipsa meum.

Sic Tacitus nos docet annal. II, 41: (in Germanici triumpho) vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, proeliorum; sic Livius indice tabulae, quam Gracchus Sardinia capta in aede matris Matutae posuit, descripto haec subjungit (41, 28): Sardiniae insulae forma erat atque in ea simulacra pugnarum picta.

Quum Pannonios tum Germanos (Trist. IV, 2, 37. Vell. II, 119. Tacit.) in devias silvas recedere solitos esse nemo ig-

norat (Vell. II, 115. Suet. Tib. 20. Dio Cassius passim). Quemadmodum igitur naufragus servatus non navem integram sed ipsum naufragium in tabula pictum exhibet (ne cladem suam omnibus narrare cogatur Schol. ad Pers. I, 89. Iuven. XII, 37) ita non *veri* muri sed *versi* circumferebantur. — De pictis illis viris [1]) quoque dubitatum est, at vide P. III, 4, 25

sed loca, sed gentes formatae mille figuris
nutrissent carmen proeliaque ipsa meum.

Deinde observandum primum (vv. 37—42) res fictas describi, postea de ducibus agi, quem ordinem servat poeta

Art. I, 223 hic est Euphrates, praecinctus harundine frontem;
cui coma dependet caerula, Tigris erit.
hos facito Armenios, haec est Danaeïa Persis;
urbs in Achaemeniis vallibus ista fuit;
ille vel ille duces; et erunt quae nomina dicas,
si poteris vere, si minus, apta tamen.

Versui 39 similes sunt Art. I, 219 sq. Trist. IV, 2, 37

---

1) Modo vivi ferebantur (Sen. Herc. Oet. 109 non captiva dabit bracchia vinculis nec pompae veniet nobile ferculum. L. Weisser, Lebensbilder aus dem Klass. Alterthum. (Stuttgart 1864) tafel XXVII, 6 *b*) modo effigies captivorum in ferculo portabantur. Weisser, l. l., fig. 5. Dubium est Propertii (IV, 3 (4), 17 sq.) testimonium coll. Tr. IV, 2, 43. P. III, 4, 104. cf. H. Kurz, Erläut. zu Weisser's Lebensbilder etc. pag. 142. »Statuen und Bilder berühmter Persönlichkeiten auf Seiten der Unterworfenen. — pag. 145 „auch die Abwesenden waren in Bildern zugegen, Mithridat's Flucht und Ende war in Gemälden dargestellt und Bildnisse von Barbarengöttern, im heimischen Schmucke wurden vorbeigetragen." Prop. II, 6, 9. IV, 7, 16. Hor. Sat. II, 7, 96 sqq.

cf. Tac. ann. II, 41. Restat v. 40. „Arma cum telis *suis*" absurde dictum est, at quanto melius coacervantur in strue *sua*, quae propria est pompae triumphalis. Plutarch. Aemil. Paul. cap. 32. cf. Tacit. annal. II, 18. 22. Cum igitur codicis Hamb. verba explicari possint, nihil mutandum censeo.

P. II, 2, 45 (7/9) nunc tua pro lassis nitatur gratia rebus,
principis aeterni quam tibi praestat amor.

Videmus Ovidium epitheton „aeternus" imponere Augusto pontifici maximo Fast. III, 421

ignibus aeternis aeterni numina praesunt
Caesaris

cf. 428 vivite inexstincti, flammaque duxque, precor.

Sic Vestae sacerdotem aeternam commemorat poeta Am. III, 7, 21. De principatu autem aeterno [1]) nihil comperimus. Iamdudum enim correctum Fast. IV, 408 „perpetuam pacem pacificumque ducem." Regnum diuturnum tantummodo Augusto exoptat poeta (Tr. II, 166 [2]). P. I, 2, 101), vitaeque longinquitatem (Tr. II, 57. 155. V, 2, 51 sq. V, 5, 61. V, 11, 25 sq. P. II, 8, 41. Fast. II, 652. Met. XV, 868). Domui contra Augusti imperium aeternum votis expetit poeta. (Met. XV, 837. Tr. III, 1, 58. IV, 2, 10. P. I, 2, 102 [3])). Spreto igitur cod. Hamb., quem sequuntur editores, *aeterni* mutan-

1) Huc non pertinet P. II, 8, 25: parce, precor, saecli decus indelebile nostri.

2) cf. Consol. ad Liv. 413 sq. Martial. VI, 3, 3.

3) Eleg. in Maecen. II, 29 sq.

dum est. De medela afferenda vide Heinsium ad locum et confer Tr. V, 9, 21. P. II, 5, 73. IV, 9, 70. Pietatem aeternam indicat poeta Tr. V, 4, 44.

P. II, 3, 15 nec nisi quod prodest carum est, et detrahe menti
spem fructus avidae, nemo petendus erit.

Locum communem, quem haec epistula tangit, illustrabunt Cic. Lael. 9, 31: „ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam — neque enim beneficium feneramur (Senec. benef. IV, 13, 5), sed natura propensi ad liberalitatem sumus — sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus" et Cic. finn II, 26, 83: „faciant etiam illud' ut aequitatem, modestiam, virtutes omnis per se ipsas gratis diligant. An vero, si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam, dubium est quin fundos et insulas amicis anteponamus?" Appositus quoque locus Senecae (benef. IV, 11, 2): „si utilitas me et sordida computatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi ut invicem ille mihi prosit, non dabo beneficium." Neque illi scriptores sibi temperant neque Ovidius, a quo abjudicat versus 15—16 Bentleius. At dubites quoque in distichis sequentibus (33—36) utrum utri anteferendum sit. Quid ergo statuemus? Saepenumero quid Ovidio tribuendum sit, quid interpolatori dijudicari fere nequit. Tutius mihi visum versus pro genuinis habere [1]). Vi-

1) Cf. disticha suspecta nonnullis Tr. II, 91—2. III, 4, 7—8.

tiùm in verbo *petendus* nullum deprehendo. cf. Hor. Od. II, 18, 11. Prop. II, 9, 23. Cic. ad fam. XIV, 1, 2, quare reicienda Madvigii conjectura *verendus.*

P. II, 4, 7 ante oculos nostros posita est tua semper imago,
et videor vultus mente videre tuos.

Jure Guethling lectionem codicum Monacensium revocavit, ad quam prope accedit cod. Hamb. (tua est tua), nam saepius exciderunt syllabae in cod. A. (Merkel[1], praef. VI). Inveni (agr)os II, 1, 13, (ni)si II, 3, 23, (a)micus I, 6, 13. Inde emendavit Merkel II, 9, 37 *profugo prosint tua.* Legitur autem in cod. A. *profugus intra tua.*

P. II, 5, 3 quae rata sit cupio rebusque ut comprobet omen,
te precor a salvo possit, amice, legi.

Corrupta haec esse censuerunt multi viri docti; potest tamen servari vulgata coll. Amor. I, 12, 27 „ergo ego vos rebus duplices [1]) pro nomine sensi" et versu dubio Met. XIV, 385. Verba rebus opponuntur P. IV, 3, 25.

P. II, 5, 11 optastique brevem salvi mihi Caesaris iram
quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.

Owenius in ed. crit. Trist. (prolegg. ciii) conjecit: statui. Sed frustra locus tentatur, legimus enim

---

1) duplex Venus (Catull. 68, 51.)

Tr. III, 1, 57 quandocunque, precor, nostro placere parenti
isdem et sub dominis aspiciare domus.
Tr. IV, 9, 13 et patriam, modo sit sospes, speramus ab illo
Tr. IV, 4, 47 forsitan hanc ipsam, vivat modo, finiet olim,
tempore cum fuerit lenior ira, fugam.

quamquam ultimo loco viri docti „vivam modo" [1]) corrigunt, quos locorum (Tr. II, 123 sq. 181 sq. III, 8, 19 sq. P. II, 7, 79 sq.) memores fuisse suspicor. Probavit Heinsius *salvi* coll. P. II, 3, 97 sq. [2]). Ne permaneat in ira Augustus, Cotta quoque operam dabit. P. I, 9, 27 „rogabit, ne sit ad extremum Caesaris ira tenax."

P. II, 5, 65 distat opus nostrum, sed fontibus exit ab isdem
artis et ingenuae cultor uterque sumus.
thyrsus ubi est a te gestata est laurea nobis:
sed tamen ambobus debet inesse calor.
utque meis numeris tua dat facundia nervos,
sic venit a nobis in tua verba nitor.

Dixeris poesis generi diverso deditos describi (v. 67), quemadmodum Horatius fecit (Ep. II, 2, 59), ubi legimus

carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
ille Bioneis sermonibus et sale nigro.

At falleris, nam laurea spectat oratorem (Burm.) Sed vi-

---

1) Ut legitur Rem. 391. cf. me salvo P. II, 1, 67.

2) Martial. V, 6, 3: sic te serior et beata quondam | salvo Caesare finia senectus.

deamus codicum scripturas. Supra dedi ea, quae leguntur in codd. Monacensibus. Eadem fere praebet cod. Hamburgensis:

thyrsus sublestate gustata est laurea nobis

Lacuna videtur fuisse in omnium codd. exemplis:

thyrsusub . . . g. e. l. n.

unde lectionum varietas orta. Nunc audi viros doctos.

Legunt *nobis* . . . *vobis* Verpoorten (in ed. Harlesii XXVI) et Burmannus. Heinsius autem carpsit *κακοφωνίαν* illam in nobis, vobis, ambobus. Madvigio placuit:

thyrsus pulsat me, gustata est laurea vobis.

Deinde, ex quo Rothmalerus conjecit:

	thyrsus	abest	a	te	gustata	et	laurea	nobis
proposuit Riese:	„	„	„	„	gestata	„	„	„
Guethling:	„	„	„	„	gustata est		„	„
Bergkius:	„	„	„	„	negitata	„	„	„

At aliena sententia est: tu poeta non es, (et) ego sum. Ut ergo opponantur inter se orator et poeta (v. 69) fortasse scribendum: thyrsus ut est vati, gestata est laurea vobis.

P. II, 6, 23 turpe sequi casum et fortunae cedere amicum,
et nisi sit felix, esse negare suum.

Ita ediderunt Riese et Guethling. Versus Heinsio suspectos eiecerunt Bentley, Korn, Merkel[2]. — Comparaverim certe.

P. II, 3, 37 turpe putas abigi, quia sit miserandus, amicum
quodque sit infelix, desinere esse tuum

attamen non inveni apud Ovidium locos, ubi *casus* significaret bonum, prosperum casum. Codd. meliores habent *accedere*: faciunt igitur poetam more suo bis idem dicentem; at objectum esse debet *amicum*. Guethlingio si credis, mala fortuna intelligenda est. Ferendumne *cedere* [1]) = tradere, permittere (Madv. adv. II, 103 *addicere* proposuit)? Nonne patet nescioquem desiderasse tertium distichon a *turpe* incipiens, in quo notissima illa de amicis fortunae comitibus occurrerent (Tr. I, 5, 34. 9, 13. P. I, 9, 16. II, 3, 56)? Quam inscite e diversissimis novos versus conflavit!

P. II, 7, 3 proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas,
et si, quicquid agis, sit tibi cura mei.
nec dubito, quin sit: sed me timor ipse malorum
saepe supervacuos cogit habere metus.
da veniam, quaeso, nimioque ignosce timori [2]):
tranquillas etiam naufragus horret aquas.

Mutat *timor* in *tenor* Bentley, in *tumor* Merkel[2].

At confer v. 35 non igitur vereor, quia te rear esse verendum,
cuius amor nobis pignora mille dedit:
sed quia res timida est omnis miser, et quia longo est
tempore laetitiae janua clausa meae.

---

1) Cic. Tusc. III, 17, 36 „cur succumbis cedisque fortunae?“ Senec. Ep. 22, 4: nulli necesse est felicitatem cursu sequi. ibidem § 7 „turpe est cedere oneri.“

2) Prop. II, 6, 13.

Consule quoque Ciceronem de aegritudine animi disputantem (Tuscul. III) et Senecae Epist. 13. Anxietas enim animi (P. I, 4, 8) vanos metus poetae incutit, quod eidem accidit

Tr. IV, 3, 9 inque meam nitidos dominam convertite vultus,
sitque memor nostri necne, referte mihi.
ei mihi, cur timeam? quae sunt manifesta, requiro:
cur labet ambiguo spes mea mixta metu?
crede, quod est et vis [1], ac desine tuta vereri,
deque fide certa sit tibi certa fides

nec non de uxoris fide dubitavit Tr. III, 3, 25—28 cf. Tr. I, 1, 74—82. Sunt — ut cum Cicerone loquar (Tusc. IV, 6, 14) — mala opinata. „Nunc", ait poeta Am. I, 10, 9, „timor omnis abest animique resanuit error." Quibus perpensis retineo *timor*. (timor eventus deterioris P. II, 2, 32. timor mali Liv. 45, 25).

P. II, 7, 13 membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
vanaque sollicitis incutit umbra metum.

Ne *incitat* legas plurimos codices secutus, iterum inspiciendus est Tusculanarum disputationum liber tertius. Scribit ibi M. Tullius cap. XI: „His autem perturbationibus, quas „in vita hominum stultitia quasi quasdam furias immittit „atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum

---

1) Senec. Ep. 13, 13: ergo spem ac metum examina, et quotiens incerta erunt omnia, tibi fave: crede, quod mavis.

„est.“ Non enim ut ibi de perturbationibus incitatis de metu aucto nostro loco agitur. Vana timet poeta cf. Am. I, 6, 9. Hor. Sat. II, 3, 53 sq Juven. X, 21. Virg. Aen. II, 728.

P. II, 7, 77 sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est,
aut flecti nervos si patiere, cadet.

In codd. deterioribus *recto* legitur. Conjecit *celso* Riese, *plano* Schenkl. Malim legere *tento* propter verbum *flectere* [1]) quod sequitur. In cod. Argentorat. scriptum est *nitendo vertice recto.*

P. II, 8, 53 Caesaris adventu tuta gladiator harena
exit et auxilium non leve vulnus habet.

Hic Riesio assentior *ad nutum* scribenti. Nam licet Suetonius in vita Augusti (c. 92) narret apud insulas Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram languentesque ramos convaluisse Augusti adventu, at tamen principe podium conscendente gladiatorem salvum harena egredi non tradit. Prohibuit tantum Aug. gladiatores sine missione edi (l. l. c. 45). Ceterum eiusmodi spectaculis valde delectabatur (Tac. ann. I, 54). — Vix igitur puto Augustum [2]) mortem remisisse gladiatoribus adventu suo. In errorem induxit, puto, librarios distichon, quod subsequitur:

---

1) Prop. IV, 8, 5 sq.

2) Plut. Num. X. Ῥαβδουχοῦνται δὲ προϊοῦσαι (virgines Vestales)· κἂν ἀγομένῳ τινὶ πρὸς θάνατον αὐτομάτως συντύχωσιν, οὐκ ἀναιρεῖται.

nos quoque vestra, juvet, quod, qua licet, ora videmus:
intrata est superis quod domus una tribus.

At quemadmodum princeps praesens mortem deprecantibus adnuit, sic grata Ovidio Caesarum praesentia, quos votis suis (23. 35—38. 43 sq.) nutu esse fauturos (51. 73 sq.) cupit. Qui igitur vulneribus confecti olim mittebant ad dominos, qui quaererent, quid vellent (Cic. Tusc. II, 17, 41), populum extrema harena exorabant (Hor. Ep. I, 1, 6), ubi apud Aug. arbitrium, huius frontem tentasse mihi videntur, ut hodie non nisi rege vel regina praeeunte plaudunt spectatores. Nota quoque verba *videndi* (9. 13. 19. 55. 58). Non dubito ergo quin recte scribatur

Caesaris ad nutum tuta gladiator harena
exit et auxilium non leve vultus habet.

P. III, 2, 15—22 me quoque amicorum nimio terrore metuque,
non odio, quidam destituere mei.
non illis pietas, non officiosa voluntas
defuit: adversos extimuere deos.
utque magis cauti possunt timidique videri,
sic adpellari non meruere mali.
at meus excusat caros ita candor amicos,
utque habeant de me crimina nulla favet.

„Versus 19—22 vix recte se habent" ait Kornius; „intercidisse videntur nonnulla." Merkelius distichon 19—20 uncinis inclusit. K. Peters, ut mihi auctor est Ehwaldius

(Bursiani nunt. annal. LXXX, 115 (1894)), transponit ultima. Legit enim: *et* meus excusat — favet. utque *nimis* cauti possunt – mali. Praeterea varia conjectant critici. Proponit Ehwaldius *an* — *facit* (cf. Guethl.). Olim correxerat Heinsius *cavet* (quod reicit Korn Bemerk. p. 4 sq.); eiusdem autem sunt conjecturae *nimis* (19) et *at* (21), quarum alteram vanam puto, alteram contra necessariam. Cur ita sentiam, dicam. Nihil opus est adverbio *nimis*, quod ob versum 15 introductum esse videtur. Utrumque enim dicitur, ut patet comparatis e. g. Tr. I, 5, 37 et I, 9, 19 sq., P. III, 6, 15 et 43. Deinde explico: mali adpellari non meruere amici, possunt cauti potius (neque: *nimis cauti* cum Heinsio) timidique videri. Sic legi apud Senecam Ep. 22, 7: „non est quod quisquam temeritatis illos (Stoicos) apud te „infamet: cautiores quam fortiores sunt." Superest, ut defendam *possunt* et *at*. Illud tuetur P. II, 2, 17 (nil nisi non sapiens possum timidusque vocari), hoc convenit epistulae argumento. Nam de amicis infidelibus ideo tantummodo locutus est poeta, quo maiore laude Cottae pietatem celebraret, quare, quae aberravit a proposito oratio, apte per *at* clauditur. Opportune quoque poeta provocat ad candorem suum, de quo non dubitabat. Iactavit eum e. g. Tr. II, 467. 572. Tr. V, 3, 53. Ib. 8. P. II, 5, 5. III, 4, 65. IV, 14, 43. De quibus si recte judicatum est, nihil impedit quominus spernas *aut*, quod invenitur in codd. A. et B., nam vitiosae lectiones Hamburgensi saepius cum Argentoratensi communes sunt (Korn praef. VIII). Permutationem illam illustrat P. I, 2, 101 (3), ubi in editionibus *at*, in A. *aut*, in B *ad*. *At* pro *aut* in deterioribus occurrere videbis inspectis locis P. I, 5, 80. II, 7, 78. II, 9, 41.

P. III, 3, 61 sic regat imperium terrasque coerceat omnes
Caesar, ab Aenea est qui tibi fratre nepos.

Ex quo cod. Hamburgensis ope destituti sumus, codicum Monacensium imprimis auctoritas valet; quod cum concedat Guethling (praef. VIII), scribit tamen *nepos* codd. deteriores secutus. Intelligit ergo unum e posteris (een naneef, ut nos dicimus). At neque vocabuli sensum novasse (vide Burm.) Ovidius mihi videtur, neque accuratius designasse necessitudinem inter Amorem et Augustum. Scio quidem minutam generis descriptionem adamasse poetam nostrum — cui studio in Ponticis quoque indulsit e. g. P. II, 11. — at hic vereor ne librarii sit emendatio: „Caesar, ab Aenea est qui tibi fratre nepos." Jure, opinor, Korn et Merkel[2] receperunt *tuus*. Ne te offendat autem *tibi* — *tuus*, cogita de loco

P. III, 4, 1—2 haec tibi non vanum portantia verba salutem
Naso Tomitana mittit ab urbe tuus.

P. III, 3, 87 dum domus et nati, dum mater Livia gaudet,
dum gaudes, patriae magne ducisque pater,
dum sibi gratatur populus, totamque per urbem
omnis odoratis ignibus ara calet,
dum faciles aditus praebet venerabile tempus:
sperandum est nostras posse valere preces.

Utinam explicasset Guethlingius illud venerabile tempus (cf. 85), quod *rogandi tempus* (III, 1, 129) vel *aptum preci-*

bus tempus (II, 2, 67) significare nequit. Conjecit Korn *numen*. At *templum*, quod est in γ (cod. Monac. 19476), ferri potest. Spectat Ovidius Augusti domum. Confero

P. III, 1, 131 non semper sacras reddunt oracula sortis,
ipsaque non omni tempore fana patent.
135 cum domus Augusti, Capitoli more colenda,
laeta, quod est et sit, plenaque pacis erit:
tum tibi, di faciant, adeundi copia fiat.

Inspice mihi eiusdem epistulae vv. 138, 145. 150. 161—4. Confirmant quoque opinionem meam Tr. I, 1, 69—74. Tr. III, 1, 35—8.

E contrario magni tecta Tonantis (Met. I, 170) cum describit, haec noster habet

175 hic locus est, quem, si verbis audacia detur,
haud timeam magni dixisse Palatia coeli.

P. III, 4, 87 quo pede nunc utar, dubia est sententia nobis:
alter enim de te, Rhene, triumphus adest.
inrita motorum non sunt praesagia vatum:
danda Iovi laurus, dum prior illa viret.

Heinsii emendatione (motorum) spreta *votorum* e codicibus revocavit Guethling addiditque in adnotatione critica: „*votorum* conjungendum cum *inrita*,“ cui opinioni et alia obstant et quod nulla vota suscipiuntur. Potuit fraudem facere viro docto

P. II, 1, 53 Di tibi dent annos! a te nam cetera sumes,
sint modo virtuti tempora longa tuae.
quod precor, eveniet: sunt quiddam oracula vatum:
nam deus optanti prospera signa dedit.

At nemo monitus discrimen non videt. Compara, quaeso, Ib. 126—8 et attende ad vv. 91. 93 sq. 113 sq. — De vatibus autem afflatu divino percitis consule Am. III, 9, 18. Art. III, 53 sqq. Tr. IV, 10, 129. Fast. VI, 5 et locum, quem jam Heinsium citasse video, Met. XV, 143.

P. III, 5, 39 ecquid, ubi aut recitas factum modo carmen amicis,
aut, quod saepe soles, exigis ut recitent,
quaeror et interdum tua mens, oblita quid absit,
nescio quid certe sentit abesse sui?

Refutant Merkelium[2] „*ut* i. *pia* mens" edentem loci

P. IV, 4, 47 di faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
nomen et „heu" dicas „quid miser ille facit?"
et Tr. V, 3, 49 atque aliquis vestrum, Nasonis nomine dicto,
opponat lacrimis [1]) pocula mixta suis,
admonitusque mei cum circumspexerit omnes,
dicat „ubi est nostri pars modo Naso chori?"

cf. Tr. I, 7, 9 sq. V. 3, 31—34.

P. III, 6, 33 at si forte velis in nos inquirere, nemo est,
quin se, quod patitur, commeruisse neget.

---

1) Sic Owenius; *labris* Ehwaldius. At *lacrimis* retinendum (Tr. I, 3, 80 III, 5, 14. P. I, 9, 2. IV, 11, 10). Fortasse: ponat <cum> l. p. m. s..

Ita edidit Guethlingius, qui in adn. crit haec habet: „fort. *qui me*, *quod patior* scribendum; nam quo modo vv. 33 sq., nisi eiusmodi quid restitueris, cum eis, quae antecedunt, cohaereant, non intelligo." Neutrum verum puto.

Laudata enim Augusti clementia (7—22) convertit poeta amici animum ad principis justitiam (23—34). Illic Ovidius suum ipsius testimonium profert (Tr. II, 125. V, 4, 19—20), hic testes citat, quotquot Augustus exilio (Tr. II, 129 sqq.) multavit. Argumento est

Tr. II, 193 cumque alii causa tibi sint graviore fugati,
ulterior nulli, quam mihi, terra data est.

coll. vv. 27 (multos), 29 (tot), 31 (fortissima qnaeque).

Male quoque se habet *quin*, quod Bentleius proposuit, nam aut legendum „quin se — non meruisse neget," aut „qui se — commeruisse neget." Hoc et Kornius probavit.

P. III, 9, 23 corrigere at res est tanto magis ardua, quanto
magnus Aristarcho maior Homerus erat.
25 sic animum lento curarum frigore laedit,
ut cupidi cursus frena retentat equi.

Possis conferre Met. VI, 709: nec prius aërii cursus suppressit habenas; at displicet duplex genitivus. Inde minus quoque mihi arridet Ehwaldii explicatio (Bursiani nunt. ann. XLIII, 268): v. 26 ist *corrigere* ebenso wie v. 25 Subject: das *corrigere* (hier = der Versuch des Reiters, den Gang des Pferdes nach seinem Willen zu ändern) hält die Zügel des Rosses, das nach Laufen (= flotten Gang) verlangt, zurück." Ego contra alterum desidero subjectum, quod usus Ovidianus

flagitare mihi videtur; quamquam sensui magis quam rationi judicium hic permittendum est. Latet autem subjectum in voce *cursus*. Nonne semper orbes et flexus cupidorum equorum frena retentant [1]? Repono ergo: *gyrus*; impetu enim ferri cupit poeta nec minus equus cupidus, qui variandi gyros artem odit (Tac. Germ. 6.). Sic Virg. Georg III, 190 praecipit:

> at tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
> carpere mox gyrum incipiat gradibusque sonare
> compositis sinuetque alterna volumina crurum
> sitque laboranti similis.

cf. Georgic. III, 113 sqq. Copiose, ut solent, rem describunt laudatores Messalae (91—94) et Pisonis (49—54). Sed praebet exempla noster. Conferantur Her. IV, 79—80. Art. III, 384. Rem. 397 sq. Met. II, 7, 4—21. VI, 225. VII, 782—4. Sic Cotys „colla velocis flectere doctus equi" laudatur P. II, 9, 58. — Fugit poeta limae laborem et moram (Hor. A. P. 291) negligitque artis gloriam (P. I, 5.), recusat gyrum, repugnat arti equus. Nec offendit epitheton equo additum. Gaudent, dolent equi homines imitati (Virg. Georg. III, 102. Art. I, 629. Halieut. 66 sqq.). Quidni cupidi dicantur equi, ut dicuntur amantes, mariti [1]? Ergo *gyrus* olim in *cursus* mutatum, ut *cupidus* cum genetivo jungeretur.

---

1) Rem. 397 attrahe lora
fortius et gyro curre, poeta, tuo.

2) Tibull. II, 5, 54. Lygdam. (Tib. III), 4, 52. cf. Virg. Aen. XII, 909 nequiquam avidos extendere cursus | velle videmur.

THESES.

THESES.

I.

Aesch. Prom. 115:

τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής.

Injuria nonnulli pro *ὀδμά ὀμφή* legere malunt.

II.

Soph. Oed. Col. 305 sqq:

θάρσει, παρέσται. πολὺ γάρ, ὦ γέρον, τὸ σὸν
ὄνομα διήκει πάντας, ὥστε κεὶ βραδὺς
[εὕδει], κλύων σοῦ δεῦρ' ἀφίξεται ταχύς.

Schneidewinii conjecturae (*κεὶ βραδὺς σπεύδει*) favet locus ex Antigona (vv. 231 sq.).

III.

Soph. Antig. 225:

πολλὰς γὰρ ἔσχον φροντίδων ἐπιστάσεις,
ὁδοῖς κυκλῶν ἐμαυτὸν εἰς ἀναστροφήν.

Leg. pro *ὁδοῖς λόγοις.*

IV.

Eur. Alcest. 497 sq.:

Her. τίνος δ' ὁ θρέψας παῖς πατρὸς κομπάζεται;
Chor. Ἄρεος, ζαχρύσου Θρῃκίας πέλτης ἄναξ.

Leg. δὲ γῆς.

V.

Aristoph. Ach. 887:

δμῶες, ἐξενέγκατε
τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο καὶ τὴν ῥιπίδα.
σκέψασθε, παῖδες, τὴν ἀρίστην ἔγχελυν,
ἥκουσαν ἕκτῳ μόλις ἔτει ποθουμένην·
προσείπατ' αὐτήν, ὦ τεκν'· ἄνθρακας δ' ἐγὼ
ὑμῖν παρέξω τῆσδε τῆς ξένης χάριν.
ἀλλ' ἔσφερ' αὐτήν· μηδὲ γὰρ θανών ποτε
σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανωμένης.

v. 891 poeta spectat Eur. Alcest, 609 sq,

v. 893 lege cum Rav. ἔκφερ' αὐτήν sc. τὴν ἐσχάραν. Dicaeopolis ipse anguillam rogo (cf. τιμά 895) imponet. θανών (803) miror.

VI.

Thucyd. III, 51, 2: ἐβούλετο δὲ Νικίας τὴν φυλακὴν αὐτόθεν δι' ἐλάσσονος τοῖς Ἀθηναίοις καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ Βουδόρου καὶ τῆς Σαλαμῖνος εἶναι.

Leg. τὴν < τῆς Νισαίας > φυλακήν.

VII.

Thuc. V, 103, 2: ὃ ὑμεῖς ἀσθενεῖς τε καὶ ἐπὶ ῥοπῆς μιᾶς ὄντες μὴ βούλεσθε παθεῖν.

μιᾶς optime se habet.

VIII.

Thucyd. VI, 7, 1: *Λακεδαιμόνιοι δὲ τοῦ αὐτοῦ χειμῶνος καὶ οἱ ξύμμαχοι πλὴν Κορινθίων στρατεύσαντες ἐς τὴν Ἀργείαν τῆς τε γῆς ἔτεμον οὐ πολλὴν καὶ σῖτον ἀνεκομίσαντό τινα ζεύγη κομίσαντες.*

Delenda sunt *ζεύγη κομίσαντες.*

IX.

Thucyd. VI, 22, 1: *ἄγειν καὶ σιτοποιοὺς ἐκ τῶν μυλώνων, πρὸς μέρος ἠναγκασμένους, ἐμμίσθους.*

Verte: voor een (ons) deel gedwongen.

X.

Vell. II, 112, 4: .... paene exitiabilem omnibus.

Praestat: nobis.

XI.

Hor. Od. II, 8, 23:

tua ne retardet
Aura maritos.

Aura = halitus, spiritus.

Cf. Timoclem apud Athen. XIII, 27 (570):

ὅσον τὸ μεταξὺ μετὰ κορίσκης ἢ μετὰ
χαμαιτύπης τὴν νύκτα κοιμᾶσθαι. Βαβαί.
ἡ στιφρότης, τὸ χρῶμα, πνεῦμα, δαίμονες.

XII.

Prop. III (IV), 4, 7:

ite agite, expertae bello date lintea prorae,
et solitum armigeri ducite munus equi.

equus est navis.

XIII.

Prop. V (IV), 6, 63:

illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
hoc unum, jusso non moritura die.

Male Paley conjecit et edidit *nacta.*

XIV.

Ov. Her. II, 81:

at mea despecti fugiunt conubia Thraces,
quod ferar externum praeposuisse meis.

Leg. despectae.

XV.

Ov. Amor. III, 9, 59:

si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
restat, in Elysia valle Tibullus erit.

umbra corruptum est cf. vv. 60. 65.

XVI.

Ov. Tr. IV, 9, 1:

si licet et pateris, nomen facinusque tacebo,
et tua Lethaeis acta dabuntur aquis,
nostraque vincetur lacrimis *clementia* seris:
fac modo, te pateat paenituisse tui.

Owen edidit: *dementia*, quod defendit coll. Am. I, 7, 19. Tibull. I, 2, 11; ego malo *vehementia.*

XVII.

Ov. ex Ponto I, 1, 23:

Quod metuas non est. Antoni scripta leguntur,
doctus et in promptu scrinia Brutus habet.

Brutus poeta eroticus hic non laudatur, ut contendit Owen (in Trist. ed. min. ad I, 5, 57).

XVIII.

Ov. ex Ponto I, 3, 91.

nec loquor haec, quia sit maior prudentia nobis,
sed sum quam medico notior ipse mihi.

Recte se habet *sum*. cf. Her. XVI (XVII), 37—40.



